# SYNODVS DIŒCESANA GALLIPOLENSIS

Celebrata Gallipoli A. D. MDCLXI.

Ab Illuſtriſs. & Reuerendiſs. Dño

## D. IOANNE MONTOYA DE CARDONA

EPISCOPO GALLIPOLITANO,

Regiæ Catholicæ Maieſtatis à latere Status Conſiliario.



BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE III

Neapoli, Ex Regia Typographia Ægidij Longhi MDCLXII.

SVPERIORVM PERMISSV.

Dono Illmi e Rmi Archiepi de Aderiis Epi Policastrensis.

Digitized by Google

# In Illuſtriſsimum Dominum D. IOANNEM MONTOYAM DE CARDONA, Spectatiſſimum Gallipolitanę Vrbis Antiſtitem

# ELOGIVM.

## D.Ioannes Montoya deCardona,

Hoc eſt
Indiuiduum geminæ Familiæ prodigium,
In quo ſingula ſuſpicies veriùs,quàm inſpicies;
Et ſanè vnus omnibus abſolutus numeris,
Ea in primis eminet ſupra liuoris aleam fortuna,
Vt generis vetuſtate tempus,
Præclarè Maiorum geſtis famam
Titulorum amplitudine, gloriam deuicerit.
Verum fortuna Maximus,virtute maior,
Tāto dignitatis fænore AuitāGeneris dignitatē adauxit,
Vt ne ipſam quidem fortunam
Tanto in Viro credas fortuitam.
Adeo nihil in eo citra meritum accidiſſe comperias,
Prodomam igitur virtutis nactus fortunam,
Inſolens aſſequendæ gloriæ iter arripuit, gloriæ fugam.
Nempe infulis non ſemel allectus,
Eas iterato conſtantiæ miraculo
Quàm cæteri ambiant, repudiauit alacriùs.
Tandē nullo fortunæ,multo virtutis ſufragio
Gallipolitanæ Sedis creatur Antiſtes;
Nè tantus populis Præſul, Præſulibus norma deeſſet;
Quippe tanta regimen agitat prudentia,

Vt

Digitized by Google

Vt mentem, antequam manum negotijs adhibeat,
Ea temperat morum præſtantia,
Vt in eo ſingularis infra elationem authoritas,
Incredibilis eluceat ſupra demiſſionem humanitas,
Cuius prudentia ſemper enituit,
At nunc maxime,
Cum Diœceſanam Synodum Sanctiſſimis legibus
Ordinauit,
Qua Clero obſeruantiam, Templis ſplendorem,
Cultumque reſtituit.
Hinc diſcite Principes,
Minimam re vera eſſe Imperij portionem, Imperium.
Clerus Gallipolitanus D. D. D.

D. IOAN-

Digitized by Google

# D. IOANNES MONTOYA DE CARDONA,

## DEI, ET APOSTOLICAE SEDIS GRATIA

Epiſcopus Gallipolitanus, Regiæ, Catholicę Maieſtatis à latere Status Conſiliarius &c.

*Vniuerſo Capitulo, & Clero Gallipolitano Salutem, & Benedictionem.*

PAſtorali ſollicitudine admoniti, Sacrorũm Canonum, & Sacroſancti Tridentini Concilij decretis inhęrentes, cum poſt reiteratas Viſitationes nouerimus, non ſolùm ad Cleri diſciplinam conſeruandam, atq; augendam, ſed etiam ad totius Noſtræ curæ commiſſi Gregis regimen, & ſalutem abſoluendam, perficiendamq; Diœceſanę Synodi cõuocationem non parùm ferre adiumenti, illam vlteriùs minimè differendam iudicauimus, atque his Noſtris literis Die XVI. XVII. & XVIII. Maij proximè ſequentis, Deo adiuuante, celebrandam indicimus, & denũtiamus. quare omnes, & ſingulas Dignitates, Subdignitates, Canonicos, Capitulares, & Portionarios Noſtræ Cathedralis Eccleſiæ, Parochum quoque, eiuſq; Subſtitutum, necnon Præsbyteros, Diaconos, Subdiaconos, & Clericos, tàm Beneficiatos, quàm non Beneficiatos, Abbates, ſeù quocumque alio nomine cen-

ſean-

Digitized by Google

ſeantur, qui de iure, vel Conſuetudine huic Diœce-
ſanæ Synodo intereſſe tenentur, admonemus, & intimamus, vt prædicta die XVI. Maij proximè ventura cum duabus immediatè ſequentibus præfatæ Synodo perſonaliter interueniant, & à principio Congregationis vſque ad finem non diſcedant abſque Noſtra licentia, ſub pœna ducatorum ſex pro quolibet, pijs vſibus applicandorum, & in iuris ſubſidium excommunicationis, alijsque arbitrarijs. Accedant autem omnes in habitu, & tonſura cum ſuperpellicijs mundis, & biretis, alijsque indumentis pro cōditione, & officij dignitate, eoque cultu corporis, qui deceat Eccleſiaſticos viros ad adiuuandam non minùs exemplo, quàm opere ſacram functionem hanc, ex antiquo Eccleſiæ Sanctæ ritu obſeruatam. Clerici, & in Sacris Conſtituti omni ſint deuotione parati ad ſumendum eo primo die è manibus Noſtris Euchariſticum panem ex Pontificalis Romani præſcripto. Sacerdotes verò eo triduo in Miſſæ Sacrificio pias ad Deum fundant preces pro fœlici Synodi ſucceſſu, vtque illius ope, ac auxilio ea pertractemus, & promulgemus, quæ ad Animarum ſalutem, Clerique diſciplinam, & Diuini cultus incrementum, totiusque Diœceſis reformationem pro temporum, & rerum opportunitate pertinere cenſebimus, eaque omnia admonendo, iubendo, caſtigandoque in Fidelium Animis ingeramus, quæ decent ſanam doctrinam, quæque in ijs præcipuè elu-

cere

Digitized by Google

cere debent, qui Chriſtianæ militiæ nomen dedere. Nè igitur quiſquam aliquo ignorantiæ clypeo ſe tueri poſſit, & ij, qui in hac Noſtra Cathedrali dignitatibus, & officijs præſunt, ſedulò ſe preparent, atq; ſtatum ipſius Eccleſiæ conſiderent, & quæ illis ad amplificandum diuinum cultum, ac Populi ſalutem, neceſſaria videbuntur, Nobis referant, qui eorum conſilio cuncta decernere cogitamus; nec non Parochus vniuerſum Populum admoneat ad intereſſendum huic Synodali actioni, in qua communis agitur Animarum cauſa, & ad lucrandas plenarias Indulgentias, à Sanctiſſimo Domino Noſtro Alexandro Papa VII. ſpeciali largitione conceſſas. Præſentes litteras, Noſtra manu ſubſcriptas, Noſtrique ſoliti Sigilli impreſſione roboratas, eidem Parocho inter Miſſarum ſolemnia legendas, poſtmodum in locis ſolitis, vt moris eſt, affigendas, dedimus: Gallipoli ex Noſtro Epiſcopali Palatio jv. Idus Aprilis 1661.

Nos D. Ioannes Epiſcopus Gallipolitanus.

Locus Sigilli.

Digitized by Google

*Poteſt imprimi, & publicari, ſi Reuerendiſſimo Domino Vicario generali viſum fuerit, die 22. Octobris 1661.*

Canonicus Renzi.

*Imprimatur, & publicetur.*

Paulus Garbinatus Vicarius Generalis.

---

## ECCELLENTISSIMO SIGNORE.

Il Veſcouo di Gallipoli eſpone à V.E. come deſidera per ſalute dell'anime far ſtampare il Sinodo nella ſua Dioceſe, la ſupplica perciò degnarſi comandar, che ſi riueda, affinche poſſa darſi in luce, e lo riceuerà à gratia ſingulariſſima, vt &c.

*Spectabili Regenti Iacobo Capycio Galeotæ Regio Collaterali Conſiliario, Commiſſario Regalis Iuriſdictionis.*

Galeota Regens. Muſcettula Regens. Nauarra Regens.

*Prouiſum per S.E. Neap. die 21. Octobris 1661. Villanus.*

Die 13. menſis Octobris 1662. Neap.

Facta relatione S.E. in Regio Collaterali Conſilio de contentis in ſupradicto memoriali per Spectabilem Regentem Iacobum Capycium Galeota Regium Collateralem Conſiliarium, & Commiſſarium Regalis Iuriſdictionis.

*Illuſtriſſimus, & Excellentiſſimus Dominus Vicerex, Locumtenens, & Capitaneus generalis &c. Prouidet, decernet, atque mandat, quod Synodus, facta per Reuerendiſſ. Epiſcopum Ciuitatis Gallipoli, imprimatur, & in publicatione ſeruetur Reg. Pragm. Hoc ſuum &c.*

Galeota Reg. Muſcettula Reg. Vlloa Reg. Nauarra Reg.

*Andreas, Gatta Regiæ Iuriſdictionis Cancellarius.*

Digitized by Google

# CONSTITVTIONES SYNODALES EDITÆ

In prima Diocœſana Synodo Gallipolitana

SVB

ALEXANDRO VII.

PONTIFICE MAXIMO,

Ab Illuſtriſs. ac Reuerendiſs. Dño

D. IOANNE MONTOYA DE CARDONA

EPISCOPO GALLIPOLITANO,

REGIÆ CATHOLICÆ MAIESTATIS à latere Status Conſiliario,

A. D. MDCLXI. EPISCOPATVS EIVS II.

Die XVI. XVII. & XVIII. Maij.

## *TIT. I.*

## *De Fide Catholica, eiusque Profeſsione, Doctrina, & Prædicatione.*

## PRAEFATIO.

CVm Summus rerum omnium Creator, & Artifex Deus vniuerſam hanc Mundi machinam fabricaſſet, ſummaq; potẽtia, quæ non erant, feciſſet ſolo verbo conſiſtere; tandem Geneſ. 1.



Digitized by Google

rerum velut omnium epilogum formandum aſſumpſit hominem,cuius cauſa cuncta creauerat. Geneſ.2. quem vt cœteris antecelleret animantibus, rationis fecit,mentisq;participẽ; osq; illi ſublime Sap.2. dedit,vt ea ſpectando contemplaret, vnde ſuam Eccleſ.17. ducebat originem:habitabat in Paradiſo,in loco voluptatis cõuerſatio eius; odoratis fulcitus floribus,ſtipatus malis,gloria,&honore coronatus, Pſal.8. & conſtitutus ſuper omnia opera manuum Dei. At,miſer,cùm in honore eſſet,nõ intellexit. hinc ſuperbundo, Deo terga vertendo, cibum vetitũ guſtando,per peccatum exul effectus,de malisq; in mala præcipitando,Creatoris ſui, cui ſimilem c.hæc imago 33. q.5.vbi gloſ. formam acceperat,amiſit,iumentisq; inſipientibus comparatus,ſimilis factus eſt illis. Pſal.48. Cuius tãtæ miſeriæ pietate tactus Creator idem Deus,ac miſericors Pater, immemor iniuriæ, memor clementiæ, vt perditum hominem reuocaret ad Patriam,in viam veritatis errantem,in hæc ima deſcendit factus homo. Vnde fieret,vt dùm viſibilẽ hunc ille foris cognoſceret, per hunc in Cõditoris ſui obedientiam vinculis charitatis aſtrictus indiſſolubilis per Fidẽ permaneret: Dilectionis etenim noſtræ Fides ipſa eſt vinculum, robur eſt ipſa Charitatis: quis .n. diliget, quem nõ credit? Fides ergò nos Deo cõciliat, viuendi nobis præcepta dat Fides; quibus cuſtoditis,Spes inde noſtra firmatur, & nutritur. Quare iure per quàm optimo inter Theologales virtutes primum ipſa

ſibi

ſibi locum vendicat; vnde ſcriptum legimus: Sãctos per Fidem viciſſe Regna, operatos eſſe iuſtitiam, adeptos repromiſſiones. Sed quia non tantùm corde credere ſufficit, ſed oris ſimul cõfeſſio eſt ad ſalutem; Patrum nos, Conciliorũq; exempla ſecuti, in huius noſtræ Diœceſanæ Synodi primordijs, Sacroſancti Trident. Cõcilij decreta, & f.r. Pij PP. IV. Bullã, ad integrã Fidei profeſſionẽ pertinẽtia prǫmittimus obſeruanda. *Hebr. 11.* *Rom. 10.* *Trid. ſeſſ. 3. Cath. Rom. in fin. proe.*

## CAP. I.

OMnes igitur Dignitates, Subdignitates, Canonici, Abbates, Rectores, Cappellani, ſeù quocumque alio nomine cẽſeantur, ad quos de iure, vel conſuetudine in hanc noſtram primã Diœceſanã Synodũ conuenire ſpectat, quosque non conſtat, in alia Synodo id feciſſe, Orthodoxæ ſuæ Fidei profeſſionẽ emittant; omnia, & ſingula ab eodem Sac. Trid. Conc. definita, & ſtatuta palàm recipiant, veram obedientiam Sanctiſſimo Domino Noſtro Alexandro VII. Summo Romano Pontifici ſpondeant, ſimulq; hæreſes omnes, aliaq; dogmata, ipſi Catholicæ Fidei aduerſantia, publicè deteſtentur, & anathematizẽt; aliàs iuxta formam Sacrorum Canonum ſeuerè punientur. *Trident ſeſſ. 25. c. 2. de ref.*

§. 1. Cùm autem vna ſit Fides noſtra, atq; certa; eadem vna, ac certa oris confeſſione vnifor- *Eph. 4.*

miter ab omnibus eſt profitenda, iuxta formam, ab eodem Pantifice Pio traditam, quam nè quempiam lateat, hìc duximus inſerendam.

Cõſt. 112. incip. Sacroſancta.

*Forma Profeſsionis Fidei.*

*EGo N. firma fide credo, & profiteor omnia, & ſingula, quæ continentur in Symbolo Fidei, quo Sãcta Romana Eccleſia vtitur; videlicet: Credo in vnũ Deum Patrem omnipotentem, factorem Cæli, & terræ, viſibilium omnium, & inuiſibilium. Et in vnum Dominum Ieſum Chriſtum, Filium Dei vnignnitum, & ex Patre natum ante omnia ſæcula, Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, Genitum non factum conſubſtancialem Patri, per quem omnia facta ſunt: qui propter nos homines, & propter noſtrã ſalutem deſcendit de Cælis. Et incarnatus eſt de Spiritu Sancto ex Maria Virgine, & homo factus eſt. Crucifixus etiam pro nobis ſub Pontio Pilato, paſſus, & ſepultus eſt, & reſurrexit tertia die ſecundũ ſcripturas: & aſcendit in Cælum, ſedet ad dexterã Patris, & iterum venturus eſt cum gloria iudicare viuos, & mortuos, cuius Regni non erit finis. Et in Spiritum Sanctũ Dominum, & viuificantem, qui ex Patre, Filioq; procedit, qui cum Patre, & Filio ſimul adoratur, & conglorificatur, qui loquutus eſt per Prophetas. Et vnam Sanctam Catholicam, & Apoſtolicam Eccleſiam. Confiteor vnum Baptiſma in remiſsionem peccatorum, & expecto reſurrectionem mortuorum, & vitam venturi ſæculi.*

Digitized by Google

ſæculi. Amen. Apoſtolicas, & Eccleſiaſticas traditiones, reliquasq; eiuſdem Eccleſiæ obſeruationes, & conſtitutiones firmiſsimè admitto, & amplector. Item Sacrā Scripturam iuxta eum ſenſum, quem tenuit, & tenet Sācta Mater Eccleſia, cuius eſt iudicare de vero sēſu, & interpretatione Sacrarum Scripturarum, admitto, nec eam vnquam, niſi iuxta vnanimem conſenſum Patrum accipiam, & interpretabor. Profiteor quoque, ſeptem eſse verè, & propriè Sacramenta nouæ legis, à Ieſu Chriſto Domino noſtro inſtituta, atq; ad ſalutem humani generis, licèt non omnia ſingulis neceſsaria. ſ. Baptiſmum, Confirmationem, Euchariſtiam, Pœnitētiam, Extremam Vnctionem, Ordinem, & Matrimonium, illaq; gratiam conferre; & ex his Baptiſmum, Confirmationem, & Ordinem ſine ſacrilegio reiterari non poſse. Receptos quoque, & approbatos Eccleſiæ Catholicæ ritus in ſupradictorum omnium Sacramentorū ſolemni adminiſtratione recipio, & admitto. Omnia, & ſingula, quæ de peccato originali, & de Iuſtificatione, in Sacroſancta Tridentina Synodo, definita, & declarata fuerūt, amplector, & recipio. Profiteor pariter, in Miſsa offerri Deo verum, proprium, & propitiatorium Sacrificium pro viuis, & defunctis; atq; in Sanctiſsimo Euchariſtiæ Sacramento eſse verè, realitèr, & ſubſtantialitèr Corpus, & Sanguinem, vnà cum Anima, & Diuinitate Domini Noſtri Ieſu Chriſti, fieriq; conuerſionem totius ſubſtantiæ panis in corpus, & totius ſubſtantiæ vini in ſanguinem, quam conuerſionē Catholica Eccleſia Tranſubſtantiationem appellat.

Fateor

Fateor etiam, ſub altera tantùm ſpecie totum, atq; integrum Chriſtum, verumq; Sacramentum ſumi. Conſtantèr teneo, Purgatorium eſſe, animasq; ibi detentas, fidelium ſuffragijs iuuari. Similiter & Sanctos vnà cum Chriſto regnantes, venerandos, atq; inuocãdos eſſe, eosq; orationes Deo pro nobis offerre, atq; eorũ reliquias eſſe venerandas. Firmiſsime aſſero, imagines Chriſti, ac Deiparæ ſemper Virginis, necnon aliorum Sanctorũ habendas, & retinendas eſſe, atq; eis debitum honorẽ, ac venerationem impartiẽdam. Indulgentiarum etiã poteſtatẽ à Chriſto in Eccleſia relictam fuiſſe, illarũq; vſum Chriſtiano populo maximè ſalutarẽ eſſe, affirmo. Sanctam Catholicam, & Apoſtolicam Romanã Eccleſiam, omnium Eccleſiarũ matrem, & magiſtrã agnoſco; Romanoq; Pontifici, Beatri Petri Apoſtolorum Principi Succeſſori, ac Ieſu Chriſti Vicario veram obedientiam ſpondeo, ac iuro. Cætera item omnia à Sacris Canonibus, & æcumenicis Concilijs, ac præcipuè à Sacroſancta Tridentina Synodo tradita, definita, & declarata indubitantèr recipio, atq; profiteor; ſimulq; cõtraria omnia, atq; hæreſes quaſcunque ab Eccleſia damnatas, & reiectas, & anathematizatas, ego pariter damno, reijcio, & anathematizo. Hanc veram Catholicam Fidem, extra quam nemo ſaluus eſſe poteſt, quam in præſenti ſponte profiteor, & veraciter teneo, eamdem integrã, & inuiolatã vſq; ad extremum vitæ ſpiritũ, conſtãtiſsimè (Deo adiuuãte) retinere, & confiteri, atq; à meis ſubditis, vel illis, quorũ cura ad me in munere meo ſpectabit, teneri, doceri, & prædicari, quantũ in me

erit,

*erit, curaturũ. Ego idem N. ſpondeo, voueo, ac iuro. Sic me Deus adiuuet, & hæc Sancta Dei Euangelia.*

## CAP. II.

EIuſdem Sacroſancti Tridentini Concilij authoritati innixi mandamus, vt quicumque ad Dignitatem, Subdignitatem, vel Canonicatũ huius noſtrę Cathedralis Eccleſiæ prouecti fuerint, intra bimeſtre tempus, ex quo in eius poſſeſſionem venerint, non modo corã Nobis, ſiuè noſtro Generali Vicario, ſed etiã coram Capitulo, Catholicam Fidem profiteri debeant, & in Romanæ Eccleſiæ obediẽtia ſe permanſuros ſpondere; alioquin fructus non faciant ſuos, nec illis poſſeſſio ſuffragetur. Ad id verò faciendũ per ſeipſos perſonaliter teneri, tactisq; Sãctis Dei Euãgelijs, etiã ſi aliàs in adeptione alterius Dignitatis, vel officij idem egerint, non eſt ambigẽdum. *Seſſ. 24. c. 12. de refor.* *Vide Garz. de benefic. p. 3. c. 3.*

§. 1. Prouiſi quoque de Beneficijs Eccleſiaſticis quibuscunque, etiam ſimplicibus, & de Iure patronatus laicorum intra eumdẽ terminum in manibus noſtris, vel noſtri Vicarij eiuſmodi Fidei profeſſionem emittant: Quamuis .n. Tridentini decreta de Beneficijs, quibus eſt cura animarum annexa, paſſim à Doctoribus interpretẽtur, laudabilis tamen eſt nonnullorum opinio, contrarium ſentientium, cui multarum Eccleſiarum obſeruantia videtur adſtipulari. *d. c. 12. & ſeſſ. 25. c. 2. vid. Zerol. prax. Epiſc. p. 1. ver. beneficium, §. 5. diſt. 4. & ver. fidei profeſſio. Vgolin. de off. Epiſc. c. 50. §. 16. n. 3.*

CAP.

## CAP. III.

IDem quoque Ius vigore huius noſtræ Conſtitutionis extendimus ad Parochum noſtrę Cathedralis Eccleſiæ,eiusq; ſubſtitutum; licet ipſis non in titulum beneficij perpetui, ſed ad beneplacitum noſtrum cura animarum,& Sacramentorum miniſtratio demãdetur. Quinimò ſtudere debet Parochus,eiusq;Subſtitutus,& Coadiutores,ad id per Nos deputati, vt pueri, ac ſimplices DoctrinãChriſtianam,Fideiq;initia diſcant; necnon ipſos hortantur ad obediendum Deo, & Parentibus, cum hæc ſit præcipua pars curę ſibi commiſſę;nè illud Hieremiæ verificetur: *Paruuli petierunt panem, & non erat,qui frangeret eis.*

*Trid. ſeſſ.24. c. 4.ad fi. de reſor.*

*Tren.4.*

§.1.Ludi quoque Magiſtri quos erudiunt per ſe eadem doceant iuxta Leonis X. decretum, Pij V.& Greg.XIII.Conſtitutiones;Pręcipiantquè, vt Dominicis,& feſtis diebus à prandio noſtram Cathedralem conueniãt,vbi publicè Chriſtianæ Religionis pręceptis, atq; inſtitutis inſtruantur. Parochus conuocandos ad Eccleſiam curet campanæ pulſu, & per munuſcula pagellarum cum Sacris Imaginibus alliciendos.

*In Conc. Later. incip. Supernè, incip.Ex debito, incip. Vniuerſis.*

## CAP. IV.

COnfeſſarij item omnes in ſui muneris aggreſſu fidem profiteantur; idq; rationi cõſonum videtur, nè (quod Deus auertat) qui pro

alienis

alienis medēdis languoribus præficiuntur, in fide mortui ſint, quando ex fide viuere debent. *Galat. 3.*

§. 1. Præterea animaduertant Confeſſarij in vtriuſque ſexus pœnitentes, ſi fidei præcipua capita neſciant, quæ continentur in ſacro Symbolo Apoſtolorum, quæq; ab omnibus Chriſtifidelibus de neceſſitate fidei non ſunt ignorāda; hæc autem ſunt Symbolum fidei, Præcepta Decalogi, & Oratio Dominica. quo circa iiſdem iniungimus, etiam ſi Regulares ſint, vt cū eorum Sacramentales Confeſſiones audierint, de quorū ignorantia dubitent, ſigillatim interrogent, an explicitè, & cum effectu prædicta recitare ſciāt; & quos ignorantes inuenerint, acritèr reprehēdant, ac ſuadeant, quàm graue pecatum ſit, ignorare, quæ tantopere neceſſaria ſunt ad ſalutem. Cum autem eos abſoluerint, præter alias pœnitentias id etiam iniungant, vt præfata Sacræ doctrinæ capita ſaltem accuratè diſcant, vna cū Salutatione Angelica, certò illis, pro arbitratu ſuo, præfinito tempore: quod ſemel, atque iterū ob aliquam rationabilem cauſam prorogare poterunt; eo verò tranſacto, ſi ob eorū negligentiā prędicta non didiciſſe compererint, eorumdē confeſſiones nō audiant, ſed ad Nos mittant. Si quis verò pro viribus elaborās vel præ ſenio, vel rudis ingenij tarditate memorię tradere non valuerit, abſolui poterit; dummodò tamen credat ſingulos articulos, ſibi propoſitos, & de pręceptis

*Vide Barboſ. de officio, & poteſt Epiſc. p 3 alleg. 76. à nu 39.*

*Vide Farinac. de hæreſ q 179. § 5 n. 8. Palac. in 4. diſt. 15. diſp. 19. & Dian. par 2. tract. 16. reſ. 14. & p 3. tract. 5. reſol. 48.*

*Vide Trulench. in expoſ Decal. lib. 1. c. 1. dub 4.*

B Deca-

Decalogi interrogatus reſpondere non ignoret, & cum Deum deprecatur ad ea, quę in Oratione Dominica continentur, ſaltē virtualitèr intēdat.

*Vide Nald. in ſum. ver. Chriſtianus 2. nu. 1 Sanch. de matr. lib. 3. diſp. 15. ſub n. 19. tit. 22. c. 7.*

§. 2. Huiuſmodi verò Catholicæ Fidei adeò rudes, & ignari neque à Parocho matrimonio copulentur, Nobis inconſultis: neq; ad Baptiſmi, vel Confirmationis Sacramenta admittantur; quandoquidem alios docere non valebunt, quæ ipſimet neſciunt.

*vide Filliucium quæſt. mor. tract. 22. c. 2. nu. 54.*

*c. vos ante omnia de cōſecr. diſt. 4.*

§. 3. Graues inſuper pœnitentias ijdem Confeſſarij imponant Parentibus, ac Dominis, qui nullam diligentiam adhibent, vt ſui liberi, ac famuli, famulęuè prima Fidei rudimenta addiſcāt; quod etiam officium ſpiritualibus parentibus, quos Patrinos appellamus, conuenire dignoſcitur, vel ex ijs, quæ in eorum ſuſceptione è ſacro fonte baptiſmatis ſpoponderunt.

## CAP. V.

Diuini verbi Prædicatores ad concionandū in Eccleſijs noſtræ Diœceſis admittendi, ſimiliter in manibus noſtris Fidei profeſſionem faciant, etiam ſi Regulares ſint; nec conſtet coram ſuis Superioribus feciſſe, nè cum alijs prædicauerint, ipſi reprobi ſint.

*1. Cor. 9.*

§. 1. Ijdem Sacram Scripturam explicent, iuxta eum ſenſum, quem Catholica Eccleſia vnanimi Sanctorum Patrum conſenſu approbauit,

prout

Digitized by Google

prout in Conſtit. Leonis X. in Concilio Lateranenſi, quam adamuſſim ſeruare debent. Hæreticorum opiniones, & argumenta longa verborum ſerie, præſertim coram imperita multitudine, haud recitent, ſed potius graui redargutione confutent. Ad laſciuas, vel ridiculas fabulas nè conuertantur, & prophana vaniloquia deuitent, multum enim proficiunt ad impietatem; ſed ſanam doctrinam, & Chriſtianæ Fidei adhęrentęm promulgent, &, vt Apoſtolicos decet præcones, Chriſtum Crucifixum prædicent: Ipſe namque dabit verbum Euangelizantibus, virtute multa, qui linguas infantium facit diſertas. Super omnia verò curent, vt non tantùm verbo, ſed exemplo doceant, ſintquè in opere, & ſermone potentes: nàm, vt ait Gregorius, cuius vita deſpicitur, contemnitur prædicatio; alioquin tanquàm Scribæ, & Phariſæi ſuper Cathedram ſedere videbuntur, & ab Apoſtolo improperari poterunt, dicente: qui alium doces, teipſum non doces; & qui prædicas, non furandum furaris. Nec alium finem ſibi proponant, niſi animarum ſalutem; ſic enim operient multitudinem peccatorum.

*incip. Supernæ.* *2. Timoth. 4.* *2. Timoth. 2.* *Tit. 2.* *1. Cor. 1.* *Pſalm. 67.* *Matth. 23.* *Rom. 2.* *Iacob. 5.*

§. 2. Nemo autem in hac noſtra Ciuitate, & territorio Concionatoris fungatur officio, neq; Regulares in Eccleſijs ſui Ordinis; niſi noſtram benedictionem acceperit, & etiam, ſi nobis viſum fuerit, examini ſe ſubiecerit; quod ſi cuiuſuis Ordinis Regularis, tàm in Eccleſia propria

*c. excommunicamus 13 §. quia verò, de hæret. Trident ſeſſ. 24. c 4 & ſeſſ 6. c. 2 de reform.*



Digitized by Google

abſque noſtra benedictione, vel nobis contradicentibus, quàm in aliena abſque noſtra expreſſa licentia, prędicare præſumpſerit; à Nobis ſeuerè punietur, etiam per cenſuras, & pœnas, in Conſtitutione Gregorij XV. & in Breui Vrbani VIII. contẽtas. Qui verò licentiam obtinuerint, indulgentias non euulgent, nec à populo pro particularibus perſonis, etiam pauperibus, eleemoſynam petant, niſi de noſtra licentia. Nocturnas quoque prędicationes quouis tempore, etiam Paſſionis Domini, ipſis interdicimus, & prohibemus; Volumusquè, vt quo tempore concio habenda eſt, viri à mulieribus ſeiungantur, tabulis ligneis interiectis in noſtra Cathedrali, in alijs verò Eccleſijs quantum fieri poterit, vt ſic omnes attentiùs prædicationi incumbant.

*incip. Inſcrutabili ſub tit. de priuil. excmp. Directo Card. de Sandoual anno 1629.*

§. 3. Cæterùm quamuis deputatio Prædicatorum in Eccleſijs noſtrę Diœceſis ad Nos de iure ſpectet; ex noſtra tamen benignitate, Prædeceſſorum noſtrorum veſtigijs inhærendo, nominationem Concionatoris pro Quadrageſima, ab Vniuerſitate huius Ciuitatis faciendam, vſque ad noſtrum beneplacitum tolerabimus; dummodò Vniuerſitas ipſa huiuſmodi gratia non abutatur, & inter ſacra ſcandala non oriantur.

*Trident. cit. c. 2. & 4.*

§. 4. Præterea hortamur, vt quotieſcumque in hac noſtra Cathedrali habenda erit concio, tunc Præsbyteri omnes cum ſuperpelliceis, & bire-

biretis in locis conſuetis aſſiſtant; vtque Regulares, quibus diebus in eorum Eccleſijs concio non habetur, ad Cathedralem conueniant.

## *CAP. VI.*

DEnique ſtatuimus, vt nemo vnquam Sacræ paginæ verba, quæ, diuino afflante Spiritu, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt, noſtræquè Fidei myſteria continent, ad prophana, ideſt ſcurrilia, fabuloſa, vana, adulationes, detractiones, ſuperſtitiones, diabolicas incantationes, diuinationes, ſortes, famoſoſqué libellos, vel ad id genus alia, torqueat, & vſurpet. qui verba Dei huiuſmodi violauerit, excommunicabitur, aliasquè pœnas iuris, & pro arbitrio noſtro ſubibit.

*Triden. ſeſſ. 4. in decr. de edit. & vſu ſacr. libr.*

## TIT. II.

### De Inuocatione, Veneratione, & Reliquijs Sanctorum, dequè Sacris Imaginibus.

### CAP. I.

tit. Conſtit. Pij IV. 112.

SAnctorum inuocationem, ac venerationem ad Summi Dei cultum, & honorem, Orthodoxęq; Fidei profeſſionem pertinere, nō eſt, cur ambigamus. Cum.n.ad Dei miſericordiam conſequendam eorum imploramus auxilium, nō parum honoris Omnipotenti impendere, & neceſſitatibus noſtris conſulere videmur; ſiquidem qui mirabilis eſt in Sanctis ſuis, amicos ſuos honorari voluit, quos ipſe honore, & gloria ſublimes effecit; acceptiorq; omninò redditur noſtra humilis ſupplicatio, ipſis pro nobis interpellantibus, quàm ſi arroganter abſq; internūcio obſecraremus. Idcircò eorum interceſſionē, inuocationem, Reliquiarum honorem, & legitimū Imaginum vſum Catholica, & Apoſtolica Eccleſia ſemper tenuit; eaq; damnantes, tanquam hæreticos, in Conciſijs generalibus omninò damnauit.

c. cum Marthæ, § tertio loco de celebr. Miſſ.

Pſal. 67.

Pſal. 138.

Conc. Nicen. 2. act. 3. Trident. ſeſſ. 25. cap. de inuoc. venerat. & Reliq. Sanct.

§. 1. Nè tamen quid per ignorantiam agatur, curēt Parochus, Confeſſarij, & Prędicatores, vt populus doceatur, alium eſſe cultum, quo Deus, ac mediator Dei, & hominum Chriſtus Ieſus colitur, alium, quo Sanctos piè venerari debemus. Necnon Sacris Imaginibus debitum honorē eſſe impar-

Ibid.

impartiendũ,non quod credatur,ineſſe aliqua in ijs diuinitas, vel virtus, propter quã ſint colẽda, vel quod fiducia in Imaginibus ſit figẽda,vt olim fiebat à Gentibus,quæ in Idolis ſpem ſuam collocabant;ſed quoniam honos,qui eis exhibetur, refertur ad prototypa, quæ illæ repręſentant, quorum ſimilitudinem gerunt.

*Pſal.134.*

*c.perlatum, cum ſeq.de conſecrat, diſt.3.*

## CAP. II.

SAnctorum ergò Reliquiæ omni reuerentia venerandæ,obſeruãdę,& contrectandæ ſunt, cùm olim viua Chriſti mẽbra fuerint,templumq; SpiritusSãcti;Sed vt in ijs omnis tollatur abuſus, & ſuperſtitio aboleatur,decernim⁹,& mãdamus, vt Reliquiarum aſportationes ſecum non paſſim fiant,neq;in priuatis domibus retineantur, cum illarũ proprius locus ſit Eccleſia: Si tamen quis deuotionis cauſa illas ſecum habere cupiat,nonniſi de noſtra licentia,præcedente recognitione, id efficiat,ſub pœna arbitrij.

*1.Cor.3.6.& 13 Epheſ.5.*

§. 1. Nemo inſuper nouas,aut ignotas Reliquias populo adorandas proponat,neq;de loco ad locũ trãsferat ſine debita approbatione,& licẽtia,ſub eadem pœna. Nemo itẽ illas,aut illarũ aliquã,etiã minimã partem,venalẽ exponere,vel turpis lucri cauſa alijs oſtẽdere, vel à loco Sacro furari audeat,vel etiam radere pręſumat,vt raſuras cum potu,vel cibo propinet infirmis,ſub excomunicationis pœna,ipſo facto incurrenda.

*Conſt. Sixti V. incip. Dominus*

*c. cum ex eo, de reliq. & vener. Sanct.*

*S.Congr.Epiſc. 7.Decẽbr.1591*

CAP.

## CAP. III.

SAcras Imagines in Eccleſijs,alijſq; honeſtis locis haberi,& venerari,Sãcta Mater Eccleſia ſemper docuit;Vt verò nihil agatur circa hęc inordinatum;nihil prophanum,vel inhoneſtum apparcat, cùm domum Dei deceat Sanctitudo; mãdamus pariter, nemini licere vllo in loco nouas,vel inſolitas ponere Imagines,vel ponendas curare,niſi à Nobis fuerint approbatæ, nec etiã in Eccleſijs,quomodocumque exemptis. Si quæ inueniãtur pictæ,aut ſculptæ, vel quomodolibet effictæ, quæ riſum, aut turpem cogitationẽ potius,quàm deuotionem præſeferãt, tolli, vel corrigi,aut deleri præcipimus; declarantes etiam, neque fas eſſe,illas alia forma, vel habitu effingere, vel veſtire, quam ab antiquo tempore eadem Sancta Mater Eccleſia conſueuit.

*Trid.loc.cit.*

*Pſal.92.*

*Vrb.VIII.Conſtit.7.*

§.1.Quòd ſi aliquæ Iconæ, vel Statuæ in Eccleſijs ita vetuſtæ ſint, corroſæ, vel abraſæ, obnubilatæ,& decoloratæ, vt potius contemptum afferant, quàm pietatem redoleant; intra ſex menſes vel reficiantur ab illis, ad quos ſpectat, vel remoueantur, comburantur, & cineres in Sacrarium mittantur; Picturæ verò, antiquitùs depictæ in parietibus extra ambitum Cappellarum,omninò deleantur,& muri dealbentur.

TIT.

Digitized by Google

## *TIT. III.*

## *De Dominicis, feſtiſq; diebus, & illorum obſeruatione.*

### *CAP. I.*

Diuini Cultus pariter ratio poſtulat, vt feſti dies, non ſolùm Dominici, Maieſtati Altiſſimæ dedicati, ſed alij, quos in honorem Chriſti Seruatoris, Beatiſſimæ Virginis, aliorumque Sanctorum ſacrauit Eccleſia, quique in Bulla Vrb. PP. VIII. continentur, ſumma cum veneratione colantur ab omnibus, & ſanctificētur; quare huiuſmodi feſtiuitates loco Sacramētorum haberi, ipſi Sacri Canones docuerunt.

*Incip. Vniuerſa per Orbem.*

*De Cõſecr. diſt. 3. in pric. vbi gl.*

§. 1. Monemus itaque omnes vtriuſque ſexus Chriſti fideles, vt his diebus Eccleſiam Cathedralem frequentent, Miſſarum ſolemnijs interſint, & in præcipuis ſolemnitatibus Veſperas etiam audiant, Orationibus inſtent, prædicationibus vacent, iuxta illud: Sapientiam ſcribe in tempore vacuitatis; & non ſolùm à peccatis ſe contineant, ſed etiam conſcientiam diſcutiant, & de culpis commiſſis à Deo veniam petant: Verum enim Sabbatum, teſte Auguſtino, Chriſtianus obſeruat, abſtinens ſe ab omni opere ſeruili, id eſt à peccato; nàm qui facit peccatum, ſeruus eſt peccati.

*Trid. ſeſſ. 24 c. 4. & ſeſſ. 22 decr. de celeb. Miſ cap. ſi quis de cõſecr. diſt. 1. c. irreligioſa & cap. ieiunia de con. ſecr. diſt. 3.*

*Eccleſ. 38.*

## CAP. II.

QVoniam verò in hac Ciuitate non eo, quo decet cultu, & reuerentia feſti dies obſeruari videntur, ſed (quod dolentes referimus) vniuerſi ferè Ciues ob auaritiam, quam ſub neceſſitatis, pietatis, & vtilitatis pallio contegunt, quodcumque opus ſeruile exercere, vel exercendum mandare non verentur, ita vt illud Hieremiæ ipſi Ciuitati aptari poſſit: Viderunt eam hoſtes, & deriſerunt Sabbata eius; Proindè vt debitus Cultus, & obſeruantia feſtorum omninò reſtituatur, ſtrictè pręcipiendo mandamus, vt omnes, & ſinguli Chriſti fideles vtriuſque ſexus hiſce diebus ob omni opere ſeruili, & manuali, ac illicito abſtineant, nequè in venditionibus, negotiationibus, alijſque prophanis contractibus ſe exerceant, nequè in officinis, & fundacis, ſiuè Apothecis, patentibus Oſtijs, permaneant; Pharmacopolis, ac panis, & vini, alijſquè Annonæ venditoribus exceptis, de quibus infra. Qui autem mandatum huiuſmodi violare præſumpſerint, vltra peccati mortalis reatum, pœnas, à ſacris Canonibus, & Apoſtolicis Conſtitutionibus impoſitas, nec non excommunicationis incurrent.

*Thren: 1.*

*cap. 1. extr. de fer.*

*Const. Pij V. Incip. cum primũ.*

§. 1. Quod ſi neceſſitas, vel pietas vrgeat, ea deducta, & cognita, gratis à nobis licentia concedetur; ſi quid verò ob aliquod opus, neceſſariò exercendum, veluti in meſſe, vindemia, ſatione, piſca-

*c. vlt. licet ext. de fer.*

piſcatione,&c. eleemoſynæ in beneficium Fabricæ Eccleſiæ,& ſimilibus fieri velit; hoc non fiat per modum paciſcendæ compoſitionis,nè ſimoniacus videatur celebrari contractus,ſed ſimpliciter exhortando, prout Sacr. Epiſc. Congr. declarauit.

*Vid. Azor Inſt. mor. p. 2. libr. 1. c. vlt. q. 12.*

*Cong. Epiſc 25. Maij 1590.*

## *CAP. III.*

NOn tamen per huiuſmodi Synodalem Cõſtitutionem aliquid derogatum intelligi volumus,& declaramus Gratiæ, & Indulto, Cõmunitati,& hominibus Gallipolitanis à Gregor. XIII.conceſſo,& à Pio V.confirmato,& ampliato circa introductionem cuiuslibet generis Annonæ, eiuſque venditionem poſt diuina officia celebrata,& circa publicũ Emporium, ſiuè Mercatum,ſi in diem feſtum ex præcepto contigerit,vt ex eorum litteris,in forma Breuis inferiùs inſerendis.Monemus tamen omnes,& in viſceribus Ieſu Chriſti rogamus,nè Gratia, & Indulto huiuſmodi vllo pacto abutantur, ſed eà, quà decet circumſpectione, fruantur;nè propter eorum nimiam terreni lucri auiditatem nullum inter feſtos dies, & infaſtos videatur intereſſe diſcrimen;quod non ſolum eſt contra mentem prædictorum Summorum Pontificum, ſed in maximũ Religionis detrimẽtum vergere videtur. Si quis autem Gratiæ prædictæ modum exceſſerit, &

 con-

Digitized by Google

conditiones non ſeruauerit, certò ſciat, præter pœnas ſupradictas, multò grauioribus, pro modo culpæ, & ſcandali, noſtro arbitrio reſeruatis, punitum iri.

Tenor verò litterarum Apoſtolicarum eſt, vt ſequitur:

Dilectis Filijs Communitati, & Hominibus Gallipolitanis. Intus verò.

*GREGORIVS PP. XIII.*

*Dilecti filij ſalutem, & Apoſtolicam benedictionē. Deuotionis ſinceritas, & fidei conſtantia, quas erga Nos, & Romanam Eccleſiam gerere comprobamini, promeretur, vt ea vobis benignè concedamus, per quæ neceſſitatibus, & cōmoditatibus veſtris valeat opportunè prouideri. Cum itaque, ſicut exponi Nobis nuper feciſtis, Ciuitas veſtra Gallipolitan, & illius territorium in mare per quinque milliaria, vel circa ſe protendat, & ibidem præcipuum ore maritimo illius regionis aduerſus Infidelium finitimorum incurſus præſidium, & propugnaculū exiſtat, ac in dicto territorio vix colligatur annuatim quantum ad Incolarum dictæ Ciuitatis multitudinem per bimeſtre ſpatium ſuſtentandam ſufficiat, ſed id aliundè congeri, & ad dictam Ciuitatem conduci, neceſſum ſit; Incolæ autem ob ſuarum facultatum tenuitatem ea, quæ ad communem vitæ vſum, & ſuſtentationē neceſſaria ſunt, induſtria, ſuis ſudore, & labore ſibi acquirere cogantur; quin etiam illud accedat incommodi,*

*vt*

ut ſingulis diebus feſtis occurrentibus, nedùm publica commercia, & mechanica opera, ſed etiam omnis generis commeatus eis interdicatur, & exinde ipſi propter huiuſmodi dierum frequentiam perſæpè in ſumma egeſtate verſentur; Nos, qui ex debito paſtoralis officij omnium Chriſti fidelium neceſſitatibus, & incommodis compatimur, veſtris in hac parte ſupplicationibus inclinati, attentis prænarratis, Vniuerſitati veſtræ, ut ex nunc de cætero perpetuis futuris temporibus Incolæ Ciuitatis, & territorij prædictorum, præter ea, quæ de præcepto S. Matris Eccleſiæ, ac etiam in honorem S. Sebaſtiani, & S. Agathæ indicta ſunt, nulla omnino alia feſta obſeruare teneantur, nec ad id à loci Ordinario, vel quocumque alio cogi, aut compelli poſſint. Quin etiam, ut facilior commeatus ibidem haberi poſsit, liceat vobis, abſque conſcientiæ ſcrupulo, & cuiuſuis pœnæ, vel cenſuræ incurſu, quibuſcumque diebus feſtiuis, etiam ex præcepto eiuſdem Eccleſiæ obſeruari debitis, cuiuſcumque generis annonam ad ipſam veſtram Ciuitatem deferri, & introduci, ac ibidem poſt diuinorum officiorum matutinorum celebrationem, eandem annonam publicæ venditioni exponi, nec non diebus ad id ſolitis, etiámſi tunc aliquod feſtum, etiam ab ipſa Eccleſia indictum, occurrerit, publicum Mercatum, ſeù Emporiũ, iuxta morem hactenus inibi obſeruatum, exerceri facere, nec deſuper per eumdem Ordinarium, ſeù alios quoſcumque impediri, moleſtari, vel inquietari poſsitis, Apoſtolica authoritate tenore præſentium concedimus, & indulgemus. Decernentes, præſentes litteras

nulllo

nullo vnquam tempore de ſubreptionis, vel obreptionis vitio, aut intentionis noſtræ, vel alio quopiam defectu notari, impugnari, & inualidari, aut in ius, vel controuerſiam reuocari, ſeu aduerſus eas quodcumque iuris, facti, vel gratiæ remedium impetrari poſſe, nec ſub quibuſuis ſimilium, vel diſsimilium gratiarum reuocationibus, ſuſpenſionibus, vel alijs contrarijs diſpoſitionibus comprehendi, ſed ſemper ab illis exceptas; & quoties illæ emanabunt, toties in priſtinum ſtatum reſtitutas, repoſitas, & plenariè reintegratas fore, & eſſe; ſicque per quoſcumque Iudices ordinarios, vel delegatos, quauis authoritate fulgentes, iudicari, & diffamari debere, irritum quoque, & inane ſi ſecus ſuper his à quoque, quauis authoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Quo circa Dilectis filijs cauſarum Curiæ Cameræ Apoſtolicæ generali Auditori, & Archipræsbytero, ac Decano Eccleſiæ Gallipolitanæ per præſentes committimus, & mandamus, quatenus ipſi, vel duo, aut vnus eorum per ſe, vel alium, ſiuè alios præſentes litteras, & in eis contenta quæcumque, vbi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte veſtra, ſeu alicuius veſtrum fuerint requiſiti, ſolemniter publicantes, ac vobis in præmiſsis efficacis defenſionis præſidio aſsiſtentes, faciant authoritate noſtra præſentes litteras, & in eis contenta huiuſmodi ab omnibus, ad quos ſpectat, & ſpectabit quomodolibet in futurum inuiolabiliter obſeruari, voſque illis pacificè frui, & gaudere; non permittentes, vos, aut aliqui veſtrum deſuper per dictum Ordinarium, ſeu alios quoſcũque indebitè moleſta-

*leſtari;contradictores quoslibet, & rebelles per ſententias,cenſuras,& pœnas Eccleſiaſticas, aliaque opportuna iuris,& facti remedia, appellatione poſtpoſita, compeſcendo,nec non legitimis ſuper his habendis ſeruatis proceſsibus,ſententias,cenſuras, & pœnas ipſas, etiam iteratis vicibus,aggrauando;inuocato etiam ad hoc,ſi opus fuerit,auxilio Brachij ſecularis.Non obſtātibus præmiſsis,& f.r. Bonifacij;& PP.VIII. Prædeceſſoris noſtri de vna, ac in Concilio Generali edita, de duabus dietis,dummodò vltra tres dietas aliquis authoritate præſentium ad iudicium non trahatur, alijſq; Apoſtolicis,nec non in Prouincialibus, & Synodalibus Concilijs editis ſpecialibus, vel generalibus Conſtitutionibus, & ordinationibus, ac Regni vtriuſque Siciliæ,etam iuramento,cōfirmatione Apoſtolica,vel quauis firmitate alia roboratis,ſtatutis, & conſuetudinibus contrarijs quibuſcumque. Aut ſi aliquibus communiter,vel diuiſim ab Apoſtolica ſit Sede indultum,quòd interdici,ſuſpendi,vel excommunicari non poſsint per litteras Apoſtolicas,non facientes plenam, & expreſſam,ac de verbo ad verbum de indulto huiuſmodi mētionē. Dat.Romæ apud Sanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris,die 18. Aprilis 1581. Pontificatus noſtri anno nono. Cæ.Glorierius.*

Dilectis filijs Communitati,&Hominibus Ciuitatis Gallipollitan.Intus vero.

*SIXTVS PP. V.*

*DIlecti Filij ſalutem,& Apoſtolicam benedictionem. Deuotionis veſtræ,qua Nos, & Ro-*

*ma-*

manam proſequimini Eccleſiam, meritis inducimur, ut vos ſpecialibus fauoribus, & gratijs proſequamur. Sanè veſtro nobis nomine nuper expoſitum fuit, quòd cùm alias f.r. Gregorius PP. XIII. Prædeceſſor noſter, veſtris ſupplicationibus inclinatus, vobis, qui, ut aſſerebatis, in veſtro territorio vix quantum ad Incolarum iſtius Ciuitatis Gallipolitan. ſuſtentationem bimeſtre ſufficiat, colligebatis, & aliundè commeatus, & alia ad victus neceſſaria comparare cogebamini; ut aliqua ratione his, & alijs veſtris neceſsitatibus, & incommodis conſuleret, per ſuas in forma Breuis litteras, ut ex tunc de cæterò perpetuis futuris temporibus liceret vobis, abſque conſcientiæ ſcrupulo, & cuiuſuis pœnæ, vel cenſuræ incurſu, quibuſcumque diebus feſtiuis, etiã ex præcepto Eccleſiæ obſeruandis, cuiuſcumque generis annonam ad ipſam veſtram Ciuitatem deferri, & introduci, ac ibidem poſt diuinorum officiorum matutinorum celebrationem, eamdem annonam publicæ venditioni exponi, nec non diebus ad id ſolitis, etiam ſi tunc aliquod feſtum, etiam ab ipſa Eccleſia indictum, occurrerit, publicum Emporium, ſiuè Mercatum iuxta morẽ, illucuſq; ibidem obſeruatum, exerceri facere, nec deſuper per Ordinarium Gallipolitan, aut quemcumque alium impediri, moleſtari, vel inquietari poſſetis, Apoſtolica authoritate indulſerit, aliaque conceſſerit, quæ latiùs in dictis litteris, quas pro expreſſis hìc haberi volumus, continentur. Quia in dictis litteris nullum commeatus genus nominatim expreſſum fuit, neque an ſolis Ciuibus, aut aduenis, aut vtriſque indiſtinctè eo priuilegio

uti

Digitized by Google

vti liceret; cuperetis, in præmiſsis opportuna Sedis Apoſtolicæ declaratione prouideri. Nos itaq; veſtris in hac parte ſupplicationibus inclinati, de conſilio Dilectorum filiorum noſtrorum S.R.E. Cardinalium ſuper interpretatione Concilij Tridentini præpoſitionem, authoritate Apoſtolica tenore præſentium declaramus, cuiuſuis Annonæ generis nomine, nedum granum, ordeum, bladas, legumina, vina, vuas recentes, & aridas, olera, carnes, pecora, caſeum, lacticinia, oliua, ſalſamenta, & quoduis aliud fructuum, & cibariorũ hominum genus; ſed etiam paleam, fænum, herbas, ſarmentorum faſciculos, ligna, aliaq; ſimilia ad vſum vel ipſorũ hominum, vel belluarum, eorumdem hominum vſui deſtinatarũ, apta, & accomoda intelligi debere; gratiamq; à Gregorio Prædeceſſore, vt præfertur, conceſſam tàm ad ciues, & incolas, quàm ad aduenas quoſcumque extendi, eosq; omnes ea indiſtinctè, & tàm pro rebus, quæ ad proprium vſum, quàm pro ijs, quæ ad venundandũ importantur, liberè vti, frui, & gaudere poſsit, & debere; nec ab Ordinario loci, vel quibuſuis alijs quauis auctoritate ſuper præmiſsis moleſtari, perturbari, vel inquietari, ſicq; per quoſcumque Iudices ordinarios, & delegatos, quauis authoritate fungẽtes, ſublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretãdi facultate, & authoritate, iudicari, & definiri debere, ac irritum, & inane quicquid ſecus ſuper his attentari cõtigerit, decernimus. Ac inſuper vos ampliori gratia proſequentes, vobis vt fructus, hortenſia, & alia id genus comeſtibilia diebus feſtiuis prædictis in veſtra

D Ciui-

*Ciuitate, etiam ante celebrationem Miſſarum, vendi, & emi licitè poſſint, authoritate, & tenore præmiſsis perpetuò concedimus, & indulgemus. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac omnibus illis, quæ dictus Gregorius Prædeceſſor in ſuis litteris prædictis voluit non obſtare, cæterisq; contrarijs quibuscumque. Dat. Romæ apud S. Mariam Maiorem ſub annulo Piſcatoris. die 28. Februarij. 1590. Pontificatus noſtri anno quinto. M. Veſtrius Barbianus.*

## CAP. IV.

CAEterùm nè populus feſtis hiſce diebus à forenſibus negotijs diſtrahatur, vel metu Iudicis Eccleſiam conuenire formidet; mandamus, vt tùnc temporis iudicium ſileat in quibuſcumque Tribunalibus; neq; eorum mãdata exequantur in cauſis ciuilibus, neq; vllis exactionũ vexationibus huiuſmodi dies prophanẽtur. quod etiam ſeruetur in ferijs Natiuitatis Domini per nouem dies ante, Deiparæ Virgini dedicatos, vſque ad Epiphaniam, & in ferijs Paſchatis Reſurrectionis à Dominica Palmarum vſque ad Dominicam in Albis incluſiuè; quas iuxta antiquam, & rationabilem conſuetudinem huius Ciuitatis obſeruari præcipimus ſub pœna excõmunicationis, pręter nullitatem attentatorum, vt per Sacros Canones, & iura ciuilia ſancitum eſt; niſi neceſſitas vrgeat, vel pietas aliud ſuadeat in caſibus, à iure permiſſis.

*l. fin. C. de fer. c. fin. ex. de fer.*

*15. q. 4. per tot.*

*arg. c. cappellanus, ex. de fer.*

*cit. c. fin. l. ſi feriatis, ff. de recept. arb. l. ſi feriatis, vbi gloſ. de fer.*

§. 1.

§.1.Neq;his diebus ludos publicos,à iure vetitos,proponere,neq;Miniis,Hiſtrionibus,Ioculatoribus, Circulatoribus, Comędias, Fabulas, aliauè theatralia ſpectacula repreſētare, aut ſaltationes, vel iocos exercere liceat; doceaturq; populus, nè feſti illorum Sanctorum dies, qui corporis caſtigatione, ieiunijsque multis Deo placuere,choreis,commeſſationibus, & ebrietatibus celebrentur, nè contrarium omninò finem Eccleſiæ fini conſequantur.

*cit.l fin. & c. cũ decorem, de vit. & hon. cler.*

*1.Cor.11.*

*c. irreligioſa, de conſecr.diſt.3.*

## CAP. V.

OMnes igitur vtriuſq; ſexus feſtiuis diebus ex pręcepto S.Matris Eccleſiæ Sacroſancto Miſſæ Sacrificio intereſſe tenentur ſub interminatione diuini iudicij. Nec Puellæ nubiles ob honeſtatem,nec Viduę ob recentem ſuorum virorum mortem, vel vllæ aliæ perſonæ ob hanc, vel aliam cauſam, aut cuiuſuis prauæ conſuetudinis prætextu,excuſatione dignæ vidētur. Quo circa iniungimus Confeſſarijs, vt id etiam à parentibus,& conſanguineis earum,ſub cuius cura degunt,requirant ſub pœna retardandę abſolutionis; necnon Dominos ſub eadem pœna commoneant,vt ſuos famulos, & ancillas ad Sacrum audiendum mittant,Sacramenta frequentari faciant, ac iubeant, & à ſeruili opere ceſſare permittant.

*c.miſſas, de conſecr.diſt.1.*

## CAP. VI.

*Trid.ſeſſ.25. de refor. in decr. de delect.cib. &c. cit. Bull Vrbani VIII.*

VT autem nemo ignorantiæ clypeo ſe tueri valeat, iniungimus etiam Parocho, vt antiquã conſuetudinem denunciandi in Dominica præcedẽti inter Miſſarum ſolemnia feſta proxima, ex præcepto obſeruanda, retineat, & proſequatur. Sunt autem, quæ in relata Bulla Vrbani continentur, mox inſerenda, & alia, quæ in hac Ciuitate, & Territorio ſunt conſueta ſeruari, & ſolẽnitèr celebrari, tanquam de præcepto: Hæc enim pia conſuetudo, quæ nec in dicta Conſtitutione prohibetur, ſeruanda eſt.

§. 1. Neq; ad huiuſmodi Bullæ mentem notificare prætermittimus, præceptum de obſeruatione feſtorum currere à media nocte præcedẽte ad mediam noctem ſubſequentem; itaut totum ſpatium ſit vnius diei naturalis viginti quatuor horarũ. Necnon principalẽ noſtrę Ciuitatis Patronã, ſicut noſtrę Eccleſię Cathedralis Titularẽ, eſſe Diuam AGATHAM Virginem, & Martyrẽ iamdiù declaratam, eiusq; diem natalitiũ V. Februarij quotannis ex præcepto eſſe celebrandũ; quemadmodum Diui Ianuarij Epiſcopi, & Martyris xjx. Septẽbris, vti principalis totius Regni Patroni. Sãctorum autẽ Sebaſtiani, & Dominici, quorum alter eiuſdem Ciuitatis, alter eiuſdem Regni tutelam habet, dies feſtos colendi, tanquam de præcepto, introductã à deuoto populo conſuetudinem non improbamus, de qua nuper

Sac.

Sac. Cõgregationem Concilij fecimus certiorẽ.

§.2. Denique mandamus omnibus, & ſingulis Eccleſiarum, & Cappellarum intra fines noſtræ Iuriſdictionis Rectorib⁹, ſiuè Priorib⁹, Procuratorib⁹, & Cappellanis, vt dies feſtos ſuorũ Titulariũ Sanctorũ, licet nõ ex pręcepto obſeruãdos, decenti apparatu, & ornatu Templorũ, & Miſſæ celebratione cũ Miniſtris, ſacris veſtib⁹ indutis, ſolemnitèr nõ pretermittant, ſub pœna arbitrij.

*Catalogus Feſtorum, ſub præcepto peccati mortalis obſeruãdorum, in Ciuitate, & territorio Gallipolitan. iuxta Conſt. Vrb. VIII. de anno 1644. Idibus Septembris, incip. Vniuerſa per Orbem.*

Dies Dominicus totius anni.

*Ianuarius.*

1. Circumciſio D. N. Ieſu Chriſti.
6. Epiphania eiuſdẽ.
20. Sebaſtiani Mar. Ciuitatis Patroni.

*Februarius.*

2. Purificatio B.M.V.
5. Agathæ V. & Mart. Titul. & Patron.
24. Matthię Apoſt.

*Martius.*

19. Ioſeph Confeſſoris Sponſi B.M.V.
25. Annũciatio B.M.V.

*Aprilis vacat.*

*Maius.*

1. Philippi, & Iacobi Apoſtolorum.
3. Inuentio S. Crucis.

*Iunius.*

24. Natiuitas S. Ioannis Baptiſtæ.
29. Petri, & Pauli Apoſtolorum.

*Iulius.*

25. Iacobi Apoſtoli.

26. An-

26.Annæ Matris Beatę M.V.

*Auguſtus.*

4. Dominici Confeſſ. Regni Patroni.

10.Laurentij Mart.

15.Aſſumptio B.M.V.

25.Bartholomæi Ap.

*September.*

8. Natiuitas B.M.V.

19.Ianuarij Mart. Regni Patroni.

21.Matthæi Apoſt.

29.Dedicatio S. Michaelis Archang.

*October.*

28.Simonis, & Iudæ Apoſtolorum.

*Nouember.*

1. Omnium Sanctorũ.

30.Andreæ Apoſt.

*December.*

21.Thomæ Apoſt.

25.Natiuitas D.N. Ieſu Chriſti.

26.Stephani Prothom.

27.Ioannis A.& Euãg.

28.SS.Innocentiũ mar.

31.Syluestri Pontif. & Confeſſ.

*Feſta mobilia.*

Paſcha Reſurrectionis cum duobus ſequẽtibus.

Pentecoſtes cũ duobus pariter ſequentibus.

Aſcenſio Dñi N. Ieſu Chriſti.

Feſtum Sacratiſs. Corporis Chriſti.

Dominica Trinitatis.

*Feſta ex cõſuetudine.*

Omnes Ferię v. à Paſcha Reſurrect. vſq; ad Pentecoſten.

*Feſta ex deuotione.*

Antonij Abb. 17. Ian.

Thomę Aquin. 7. Mart.

Franciſci de Paula 2. Aprilis.

Antonij de Padua 13. Iunij.

Viſitationis B. M. V. 2. Iulij.

Franciſci de Aſſiſijs 4. Octobris.

Immaculatę Cõceptionis B.M.V. 8. Decẽb.

Lucię V.& M. 13. Dec.

TIT.

# *TIT. IV.*

## *De Ieiunio, & delectu ciborum.*

### *CAP. I.*

ORthodoxæ Fidei Cultores ſpirituales primitias, atque dierum decimas Creatori ſuo offerre debent, quippe qui genuit eos verbo veritatis, vt eſſent primitiæ quædam creaturarum ſuarum: non ſolùm autem per vacationem àb operibus, feriatis diebus, de quibus ſupra; ſed etiam per carnis macerationem, & ieiunia, quibus ad feſta ventura ſe præparant: Cum enim caro ab alimentis terrenis abſtinet, mens ad cæleſtia eleuatur, itavt pariter à culpa ieiunet. *Iacob. c. 1.* *c. nihil enim, cũ ſeqq. de conſecr. diſt. 5.*

§. 1. Quo circa præcipimus, vt quadrageſimale ieiunium, & alia, ex Apoſtolicis traditionibus ab Eccleſia indicta, inuiolabilitèr obſeruentur; quæ ſi quis abſque legitima cauſa violauerit, præter eam, quam incurret Dei offenſionem ſeuerè ab eo iudicandam, pro arbitratu quoque noſtro punietur: quin etiam decernimus, vt in ipſa Quadrageſima caro, caſeus, oua, cæteraque lacticinia, etiam ad infirmorum vſum neceſſaria, publicè venalia non exponantur; nec illis veſcãtur, niſi qui ætatis, vel valetudinis iuſtam excuſationem habuerint; & non ſolùm Medici, ſed etiam noſtram, vel noſtri Vicarij licentiam in- *c. quadrageſimæ cum ſeqq. ea. diſt. c. conſilium, de obſeru. ieiun.*

ſcrip-

Digitized by Google

ſcriptis obtinuerint, ſub graui pœna, noſtro ſimiliter arbitrio reſeruata.

§. 1. Caueant verò Medici, nè in ſuarum animarum perniciem per ſe licere ſinant, cibis veſci Paſchalibus quos nulla, vel ſaltem non rationabilis cauſa excuſat à tàm ſalutaris præcepti obſeruantia; quandoquidem multas etiam corporum infirmitates ieiunia ſanare poſſunt.

*c. legimus, de cō-ſecr. diſt. 5.*

## CAP. II.

PRæterea hortamur omnes in Domino, vt non ſolùm in ferijs ſextis, ac Sabbatis ab eſu carnium abſtineant, vt tenentur; ſed ſi quam habent laudabilem conſuetudinem ieiunandi, vel non edendi caſeum, & lacticinia, quarta, vel ſexta feria; vel Sabbato in honorem Paſſionis Domini, vel Beatiſſimæ Virginis, retineant, & proſequantur.

*c. de eſu. de conſecrat. diſt. 3. & c. quia dies, cit. diſt. 5.*

*c. ieiunia, d. diſt. 3*

§. 1. Parochus verò quemadmodum dies feſtos, ita pariter vigilias, ex præcepto Eccleſiæ obſeruandas, inter Miſſarum ſolemnia Dominicæ antecedentis populo denunciet; admoneatq; quod occurrente feſto Sancti Ioannis Baptiſtæ ſequenti immediata die poſt feſtum Sanctiſſimi Corporis Chriſti, ieiunium vigiliæ eiuſdem Sancti non ipſo die ſolemnitatis Sanctiſſimi, ſed pridie eiuſdem diei erit præmittendum, iuxta Vrbani VIII. Conſtitutionem.

*Trid. ſeſſ. 25. de refor. in decr. de delect. cib. ieiun. &c.*

*De anno 1638. 13 Octob.*

§. 2. Do-

Digitized by Google

§.2. Doceat etiam, qua hora Ieiunantes comedere debeant:nam ante Miſſarum ſolemnia; circa horam nonam decantata, in Quadrageſima comedere minimè licet. *c. ſolent, de conſecr. diſt. 1.*

*Ieiunia ex præcepto obſeruanda.*

Vigiliæ
S.Matthiæ Apoſt. 23. Februarij.
S.Ioannis Baptiſtæ 23.Iunij.
SS.Petri, & Pauli Apoſt. 28.Iunij.
S.Iacobi Apoſt. 24.Iulij.
S.Laurentij Mart. 9.Auguſti.
Aſſumptionis B.M.V. 14.Auguſti.
S.Bartholomęi Apoſt. 23.Auguſti.
S.Matthæi Apoſt. 20.Septembris.
Omnium Sanctorum 31.Octobris.
SS.Simonis, & Iudæ Apoſt. 27.Octobris.
S.Andreæ Apoſt. 29.Nouembris.
S.Thomæ Apoſt. 20.Decembris.
Natiuitatis Domini 24.Decembris.
Vigilia Pentecoſtes.
Quadrageſimæ ſinguli dies, Dominicis tantùm exceptis.
Singuli quatuor anni temporum dies.
*Ex deuotione Populi Gallipolitani.*
Vigilia B.Agathæ Virg.& Mart. Ciuitatis Patronæ 4.Februarij.

E *TIT.*

## TIT. V.

### *De Hæreticis cauendis, & denunciandis, eorumque libris prohibitis.*

### CAP. I.

RAtioni conſonum eſſe putamus, poſtquã de Fidei doctrina egimus, in eiuſdem Fidei Aduerſarios animaduertere: Non.n. ſatis eſt, bonum ſemen ſeminare, niſi inimico homini prohibeatur, in eodem agro ſuperſeminare zizania.

*Matth. 13. & Aug. ibid. c. 11. tom. 4.*

§. 1. Quamuis autem neminem in hac noſtra Diœceſi, Dei gratia, hæretica labe contaminatũ eſſe credamus; pro ea tamen, quã Ouibus noſtris debemus, Paſtorali ſollicitudine, vniuerſis, & ſingulis vtriuſque ſexus, & quauis dignitate fulgẽtibus, ſiue Laici ſint, ſiue Eccleſiaſtici, etiam Regulares, præcipimus, & mãdamus, vt ſi quempiã ſciuerint intra fines noſtrę iuriſdictionis exiſtentem alicuius hæreſis nota ſuſpectum, aut quouis modo à Fide Catholica aberrantem, de articulis Fidei perperam ſentientem, ſenſum contrarium Concilijs, & Apoſtolicis Conſtitutionibus habentem, verba hæreticalia proferentem, hæreticalitèr blaſphemantem, vel hæreticorũ more viuẽtem, vel eorumdem ſectatorem, fautorem, aut defenſorem ſe profitentem, vel demum aliquod crimen, vel delictum patrantem, quod ad Tribu-

*cap. excomunicamus. 13. § adijcimus, de hæret. vide P. Dian. p. 1. tract. 4. & p. 4 tract. 5.*

nal

nal Sancti Officij ſupremę Inquiſitionis ſpectare dignoſcitur; ſtatim ad Nos deferat ſub pœna excõmunicationis, quàm huius pręcepti contẽptores, eo ipſo incurrere volumus. Eorum verò denunciationes, ſeù reuelationes, nè quis vano timore terreatur, ſub ſecreti ſigillo apud Nos fore pollicemur.

## CAP. II.

CVm autem aliquando contingat, nonnullos ex partibus, in quibus hęreſes vigent, ad hãc Ciuitatem accedere, præſertim mercatores, & nautas; Parochus diligentèr inquirat, ſint nè Catholici, an hæreſi aliqua commaculati, quos ſi hæreticos deprehenderit, quamprimùm Nobis renunciet. Nulli verò liceat Chriſtiano homini, cum ſupradictis, vel eorum aliquo, dùm hìc morantur, nimis familiariter conuerſari, nec vnà ſecum cibum capere, niſi in quantum negotiorum, quorum cauſa hùc accedunt, neceſſitas ſuadebit; neq; de Fide diſputare abſq; noſtra ſpeciali licẽtia, quam peritis tantummodò concedemus. Id namq; genus homines, vti peſtis morbo laborantes, cautè ſunt tractãdi, & quam citiùs expediẽdi.

## CAP. III.

QVoniam verò parum prodeſſe poterit, ab hæreticis perſonis cauere, niſi ab eorum quoque ſcriptis, & libris quamplurimis,

ab iiſdem editis, caueatur, quorum lectio Chriſtianæ vitæ puritati plurimum affert detrimenti, & non modò facillimè fallere poteſt ignaros, verùm ſæpè etiam doctos, eruditosq; in varios errores inducere; ſiquidem, vt ait Apoſtolus: ſermo hæreticorum, vt Cancer ſerpit: Sermones.n. eorũ molliti sũt ſuper oleũ, & ipſi sũt iacula. Ideo ſtatuimus, nè quis libros, hæreſim aliquam continentes, vel de hæreſi ſuſpectos, vel à Sũmis Pontificibus, ſiuè à Sacris Concilijs prohibitos, & in Indice prohibitorum deſcriptos, habere, aut legere audeat, ſiuè vendere præſumat, ſub pœnis, & cenſuris, in Concilio Lateranẽſi ſub Leone X. & in Indice Clemẽtis VIII. contẽtis, præter quas pro noſtro etiam arbitrio, & librorum qualitate punietur. qui verò libros habuerit, vel legerit, de quauis materia tractantes, ab hæreticis Authoribus ab Eccleſia damnatis compoſitos, ſiuè nõ ab hæreticis, ſed de hæreſi, vel falſa Religione tractantes, in excõmunicationem quoque incidet, quæ in Bulla Cœnæ Domini continetur.

*2. ad Tim. 2.*

*Pſal. 54.*

*Bull. Pij V. incip. Dominici Gregis, & Clement. VIII incip. Sacroſancta.*

*Seſſ. 10. in cedul. de impreſſ. libr. ſub reg. 10.*

*Bull. Can. §. 1.*

§. 1. Libros etiam, qui res laſciuas, ſeù obſcænas ex profeſſo tractant, narrant, aut docent, vel turpia, & ad peccatum prouocãtia, bonosq; mores corrumpentia continent, haberi, vel legi interdicimus, & prohibemus. Licèt verò huius generis aliqui, ab Ethnicis conſcripti, propter ſermonis elegãtiam, & proprietatem tollerari poſſint, nulla tamen ratione pueris à Ludi magiſtris

*In Indice libr. probib. reg. 7.*

inter-

Digitized by Google

interpretentur; ſi.n.iuxta Apoſtolum corrũpunt bonos mores colloquia mala, multò magis perniocioſum erit, ſi ex huiuſmodi cænoſis lacunis tenera adhuc ætas bibere aſſueſcat. Contrafaciẽtes à Confeſſarijs non abſoluantur, & à Nobis ſeuerè punientur. *1. Cor. 15.*

§. 2. Neminem verò latere debet, Gregorium XV. f. r. licentias quaſcumque legendi, vel retinẽdi libros prohibitos ex quouis capite, ſua edita Conſtitutione reuocaſſe, & facultatem in poſterum concedendi ſoli S. Congregationi Sanɑ̃ti Officij Supremæ Inquiſitionis de Vrbe reſeruaſſe, quod circa libros hereticos, vel de Fide ſuſpectos. Iulius III. & Pius IV. iàm pridẽ ſtatuerant. *Incip. Apoſtolatus.* *Vide Bonac. to. 3 diſp. 2. quæſt. 2. punct. 4. num. 7.*

§. 3. Denique hac noſtra Synodali Conſtitutione ſancimus, vt ſi quis libros quoſcumque in hanc Ciuitatem importare, vel inde aſportare voluerit, is rem totam Nobis, vel noſtro Vicario generali fidelitèr exponere teneatur, aliàs amiſſionis librorum pœna mulctabitur.

## *CAP. IV.*

NEque impreſſos libros huiuſmodi tantùm interdicimus, verum etiam quoad nondũ impreſſos, qui manuſcripti circumferuntur, idẽ obſeruari præcipimus; Mandantes inſuper, vt nemini liceat, opus aliquod, metro, vel proſa, publicè, vel priuatim recitandũ edere, vel ſcrip-

tum

tum in publicum vllo pacto exponere, neq; problemata, ſeù theſes de quacunque ſcientia ingenij exercēdi, aut alia quauis cauſa, ſiuè alibi impreſſas, ſiuè etiam manuſcriptas, diſputādas, vel ſubſtinendas proponere; niſi de noſtra expreſſa licentia, & poſtquam authoritate noſtra fuerint recognitæ; neq; Comędias, Tragœdias, aliasue Repreſentationes, niſi poſt operis recognitionem, & licentiam in ſcriptis obtemptam repreſentare, etiam ſi vitas, aut martyria Sanctorum continéant, ſub pœnis in Indice præfato ſtatutis, & comminatis, alijſq; arbitrarijs.

*Poſt reg. 7.*

§. 1. Comœdi verò, Hiſtriones, Mimi, Circulatores, ſeù Circumforanei, alijq; huius generis caueāt in locis publicis ab actibus, & verbis inhoneſtis, quæ bonos mores corrumpere, & peccādi occaſionem præbere ſolent, alioquin grauiſſimis pœnis iuxta Sacros Canones, & pro arbitrio noſtro, modoq; culpæ punientur. At verò nunquam in Dominicis, alijſq; feſtiuis diebus quicquam repreſentare, vel vendere audeant, neq; mulieres, diebus etiam nō feriatis, ſocias habere abſq; noſtra expreſſa licentia.

TIT.

Digitized by Google

## TIT. VI.

### De Maleficijs, Sortilegijs, alijsq; Superſtitionibus, & de Exorciſmis, & nouis miraculis.

### CAP. I.

HAEreticis ſolent eſſe affines Malefici, Venefici, Sortilegi, Diuinatores, Incantatores, Faſcinatores, Lamiæ, Striges, alijq; huius generis ſuperſtitioſi homines, quippe qui *Tit. 1.* à Chriſti fide apoſtatantes, Dœmonis ſe mancipant ſeruituti: Parùm.n.refert confiteri, ſe noſſe Deũ, factis autẽ negare. Hinc Tertullianus Magiam dixit hæreticorum opinionum auctricẽ, & ſemper hęreticos cum Magis habuiſſe cõmercia. *Lib. de anima, & de præſcrip. adu. hæret.*

§.1. Nos igitur tàm graue ſcelus, & immane ſacrilegiũ è medio tollere cupientes, contra pręfatos iuxta Sacrorum Canonum decreta, & Sũmorum Pontificum Conſtitutiones, præſertim Leonis X. Sixti V. Gregorij XV. & Vrbani VIII. in vtroque foro procedere non omittemus, & nõ ſolùm ipſos excõmunicationis, & maledictionis æternæ ipſo facto, ipſoq; iure pœnam incurrere declaramus; verùm etiam ipſorum opera vtẽtes, eoſq; vel eorum libros adeuntes, & conſulentes, etiam ſi ſub falſa ſpecie pietatis pro lãguoribus, ſiuè vulneribus curandis, tempeſtatibus ſedãdis, theſauris, vel rebus deperditis inueniendis, incantationibus, ſeù faſcinationibus diſſoluendis, *c. 1. 26. quæſt. 5. Incip. Superna diſpoſitionis. Incip. Cæli, & Terræ. Incip. Omnipotentis, Incip. Inſcrutabilis.*

vel

vel quauis alia de cauſa prædicta exercere, aut prædictis vti prȩſumpſerint; quin etiam omnes, & ſingulos vtriuſq; ſexus, & cuiuſuis qualitatis, & conditionis exiſtant, qui exercentes, vel vtentes nouerint, & ad Nos, vel Curiam noſtrã non denunciauerint, eiuſdem anathematis vinculo innodamus.

§.2. Quòd ſi ex prȩfatis aliquis in ſuis maleficijs, veneficijs, incãtationibus, ſortilegijs, phylteris, ligaturis, faſcinationib⁹, alijsuè ſuperſtitionibus aliquid immiſcuerit Sacramentatum, vel quod hȩreſim manifeſtè ſapiat, atrociores pœnas, etiã mortis naturalis in Tribunali S. Officij Supremȩ Inquiſitionis, cui sũt reſeruatȩ, ſubibit.

*c. accuſatus. § ſane, de hȩret. in 6.*

## CAP. II.

DEclaramus etiam, prohibitas eſſe quaſdam vanas vulgi obſeruationes, quæ ſuperſtitione non carent, vt p. dierum, & horarum, vocũ animalium, volatus, & garritus auium, ſomniorum, præſertim in gallicinio, numeri conuiuarũ, effuſionis olei, vini, ſalis, & aliorum iſtiuſmodi auguriorum, cum ſuis ridiculis interpretationibus circa negotia peragenda, iter aggrediendũ, matrimonia contrahenda, herbas colligendas, barbam tondendam, mortem, rixam, ſiuè aliud malum, aut bonum futurum prænunciandum.

*d. Conſt. Cœli, & Terra. c. non licet. 26. q. 5.*

§.1. Prohibemus inſuper abuſum deferendi

breuia, vel ſchedulas, in quibus sũt admixta verba, ſigna, caracteres, & figuræ ignotæ, necnõ orationes, in tali, vel tali membrana, ſeù charta conſcriptas. Item abuſum adhibendi Sacramentalia, ſiuè res benedictas, veluti Candelas, Palmas, Incenſum, Aquam luſtralẽ, vel à Celebrante benedictam, & ſimilia ad alios vſus, quàm Catholica vſurpauit Eccleſia ſub quouis ſiuè pietatis, ſiuè deuotionis prætextu. Qui igitur præfatis ſuperſtitionibus, vel alijs ſimilibus fidem prçſtiterint, & vſi fuerint, à Confeſſarijs non abſoluantur, & à Nobis pro modo culpæ punientur.

§.2. Huiuſmodi etiam ſunt alij ſuperſtitioſi cultus, & abuſus, quos in hac Ciuitate, dolentes accepimus, irrepſiſſe, & Parochi, atq; Cõfeſſariorum diligentia omninò tollendi ſunt; nempè die Aſcenſionis in mari natare, faciem, vel manus lauare, & linteo, guttis noctis aſperſo, tergere, nocte, vel die, præcedente feſtum S. Io. Baptiſtæ, Carduos colligere, & eorum flores leuiter comburere, herbarumuè ſemina ſeminare; Ouũ Annunciationis reſeruare; in Sponſam, cum primũ ad Sponſi domum vadit, frumentum, vel ordeum proijcere, aliaq; Eccleſiæ ianua egredi eã oportere, quàm qua ingreſſa fuerit; ferrũ, & nuces in cunabulis Infantium apponere ad Striges fugãdas; ſuper aliud brachiũ mares, ſuper aliud fœminas ad Baptiſmũ eſſe ferendas; diebus quadrageſimalibus fruſtum panis non eſſe torrendum;

F die

die feſtiuo Sancti Laurentij terram fodere pro carbonibus inueniendis, & huius generis alia.

## CAP. III.

NEmo præterea Energumenos, & à ſpiritibus obſeſſos ad aliqua curioſa reſpõſa habenda, vel de futuris, vel de occultis, ſub quouis prætextu, interrogare præſumat; ſed tãtummodò ab Exorciſtis de neceſſarijs interrogentur, adhibendo exorciſmos, ab Eccleſia receptos, vt ſunt illi Ritualis Romani.

*Rit. Rom. tit. de exorciſm.*

§. 1. Præcipimus autem, vt nulli liceat, etiam ſi Sacerdos ſit Secularis, vel Regularis, in hac noſtra Diœceſi exorcizare ſine noſtra, vel noſtri Vicarij licentia in ſcriptis, cum clauſulis, & conditionibus, per Nos præſcribendis, ſub pœna ſuſpenſionis à diuinis ipſo facto incurrenda, ſi Secularis; ſi verò Regularis fuerit, ſub pœna priuationis auſcultandi confeſſiones, & ſi illam non habuerit, arbitraria.

## CAP. IV.

DEniq; nè humani generis hoſtis prę ſtigię, aut hominum impoſturæ ad contumeliã diuini nominis pro miraculis habeantur; ſtatuimus, vt nulla poſthac noua miracula ſine iudicio Eccleſiæ, per Nos declarato, & ſeruato prius Sacri Tridentini Concilij de Miraculis decreto, authoritatem habeant, neq; admittantur.

*Seſſ. 25. Decr. de inuoc. & venerat Sanctor.*

TIT

## *TIT. VII.*

### *De Blaſphemijs, Falſis Teſtibus, & famoſis libellis*

### *CAP. I.*

PArùm etiam ab hæreſi diſtare videtur Blaſphemia, quinimò & ipſa interdum hęreſim ſapere ſolet; fuitq; ſemper nefarium, & deteſtabile ſcelus, immane, & execrabile facinus, diuina, atquè humana lege damnatum, quod nec ipſi Dœmones aduerſus ſe audent portare apud Dominum. *2. Petr. 2.*

§. 1. Vt igitur, quantum in nobis eſt, huic malo *c. 2. de maledic.* occurramus, Sacrorum Canonũ decreta, & Apoſtolicas Conſtitutiones, præſertim à Leone X. in *Seſſ. 9 Incip In maltis* Concilio Lateranenſi, Iulio III. & Pio V. editas, *Incip. Cum primum.* in vſum reuocãtes, per cenſuras, & pœnas, in eis contentas, & comminatas tàm in foro conſcientiæ, quàm iudiciario contra huiuſmodi perditos homines blaſphemantes, ſiuè Clerici ſint, ſiuè Laici, procedi mandamus.

§. 1. Si quis autem Deum, aut Deiparem Virginẽ, eius Matrem, blaſphemare auſus fuerit coram pluribus perſonis ſupra quatuor, ſtatim excõmunicationem incurrat, nobis tãtùm reſeruatam: Si coram minori numero teſtium, vel Sãctos blaſphemauerit, pœnas imponendas pro modo culpæ in vtroq; foro, noſtro arbitrio reſeruamus. Si verò deniq; blaſphemię ipſę aliquid hæreticæ *inf. tit. 13. c. 10. de caſib. reſeru.*

prauitatis admixtum habuerint, cōtra taliter delinquentes, tanquā de hęreſi ſuſpectos ꝓcedetur, grauioresq; pœnas in Tribunali S. Officij Supremæ Inquiſitionis ſubibūt, quos etiam ab omnib᷒ denūciandos eſſe prædiximus, qui Dei honorem zelātur, & nullam cū eis partē habere voluerint.

*Sup. tit. 2, c. 1.*

## CAP. II.

PRoximum quoque eſt Blaſphemię Periuriū, ipſumq; Deum immediatè offendit, quē falſus teſtis in teſtem adducit ad fallēdos Iūdices, Dei miniſtros, & Innocētes fama, & vita, nedùm facultatibus orbandos. hinc ſcriptum eſt: Abominatio eſt Domino labia mēdacia, & teſtis falſus non erit impunitus.

*Prou. 12.*
*Prou. 19.*

§. 1. Quare tàm graue ſacrilegiū, quod in hac noſtra Ciuitate nimis frequentari, non ſine cordis dolore cōperimus, vſu abolere cupientes, ſtatuimus, vt qui falſum teſtimonium in Iudicio dixerit contra innocentem in quauis cauſa, ciuili, criminali, vel mixta, vel vt dicatur ſcienter effecerit, præter alias pœnas iuxta Sacros Canones, & iura ciuilia irrogandas, excommunicationis vinculo ſit eo ipſo irretitus, à quo enodari nequaquā poſſit, niſi alienę famæ, aut facultatū iacturam meliori, quo poterit, modo refecerit.

*Tu Veteſſe eſt. 22. q. 4 c infamis, & c. quicūq. 6. q. 1. c. cum non ab homine. de iudic. & c. quarelam. de iur. iur.*

§. 2. In eamdem excōmunicationis ſentētiam ſe quoq; incidere ſciant, falſas ſcripturas ſcienter in Iudicio producentes, vel fabricantes cū tertij

præ-

prȩiudicio;necnon Actuarij,Subactuarij,Scribȩ, Notarij, Cancellarij, Aduocati, Procuratores, Cauſidici,& cœteri quocumq;nomine nuncupẽtur, qui cõtra conſcientiam, ac iuſtitiam cũ alterius partis offenſione, vel detrimẽto Reipublicȩ, cuius intereſt delicta puniri,teſtes in Iudicio,fauore,vel pecunia corruperint,aut ſeduxerint,aut teſtiũ dicta non integrè, nec fidelitèr ſcripſerint, vel ſcribi fecerint, vel ad id efficiendũ opẽ ferre, aut fauorem ſcientèr præſtare prȩſumpſerint.

*l.ſi operis. C.de pæn. Orig. in hom.9. inc. 3. Hieremi.*

## *CAP. III.*

SOlet etiam plurimum detrimenti bonȩ famȩ alterius inferre famoſorum libellorũ affixio, quapropter, vt & huic malo occurramus, ſingulos prædictorũ libellorũ Cõpoſitores, euulgatores,& affixores,necnon talia iubẽtes,vel conſulẽtes, vel talibus ſcienter auxiliũ,vel fauorem prȩſtantes, eamdẽ excõmunicationis pœnã ipſo facto incurrere volumus, aliasq; in Sacris Canonibus,& in Conſtit.Pij V.ſtatutas,& innouatas.

*c.qui in alterius 5.q.1. cum ſeqq. Incip.Cũ primum Apoſtolatus,vide Bonac.to.3 diſp. 11.q.3.pũct.36.*

§.1.Quòd ſi quis huiuſmodi ſcripto,vel etiam verbo aliquem ad duellũ prouocauerit,quiq;ad id mandatum,cõſilium,auxilium,vel fauorẽ prȩſtauerit,prȩter excõmunicationis ſententiã, alijs pœnis ſubiaceat, quæ in Trid. Conc. & in varijs Summorũ Pontificum Conſtitutionibus, prȩſertim Clementis VIII.continentur,& innouantur.

*Seſſ.25.c.19. Iulij II. Leonis X. Clem.VII. Iulij III Pij IV Greg.XIII. & Clem.VIII.incip.Deteſtabilis*

*TIT.*

## TIT. VIII.
## De Sacramentis in genere.
### CAP. I.

Trid. ſeſſ.6.c.8. & can.1. de iuſtific. & ſeſſ.7. can.4. de Sacrament. c.placuit 1. de conſecr. diſt.4. Rom.11. Eph.2. Tit.3.

CVm neq; ſola Fide, neq; operibus, ſiuè per humanę naturę, ſiuè per legis doctrinam fiant, abſque diuina per Ieſum Chriſtum gratia, homines coram Deo iuſtificari valeant; ſi enim, Apoſtolo teſte, Iuſtificatio gratia eſt, iàm non ex operibus: Cumque huiuſmodi gratia in Sacramentis nouæ legis, ab eodem Chriſto Domino inſtitutis, non ſolùm ſignificetur, & contineatur, verùm etiam ſemper, & omnibus ex opere operato, quantum eſt ex parte Dei, cōferatur; ſequitur, vt de ipſis Sanctis Eccleſiæ Sacramētis congrua ratione diſſeramus.

Id. ſeſſ.7.can.6.7. & 8.

Ibid. in proœm.

§.1. Septem igitur numero ſunt Sacramenta, per quę omnis vera Iuſtitia vel incipit, vel cæpta augetur, vel amiſſa reparatur, videlicet, Baptiſmus, Confirmatio, Euchariſtia, Pœnitentia, Extrema vnctio, Ordo, & Matrimonium. quæ priusquam ſigillatim percurramus in rubricis ſubſequentibus, libuit nonnulla, quæ generaliter ad eorum rectum vſum, & adminiſtrationē pertinent, hìc loci ſtatuere.

Ibid. can.1.

### CAP. II.

PRincipiò autem mandamus, vt nemo præter Parochum, eiusq; Subſtitutum Sacramenta miniſtrare pręſumat, niſi à Nobis, vel noſtro Vicario

cario

Digitized by Google

catio generali licētiam obtinuerit, quam eidem Parocho notificare teneatur; exceptis caſib⁹ magnę neceſſitatis, in quibus licentia nō requiritur. Parochus verò grauibus verbis, & Spiritu Dei plenis, eorumdē Sacramentorū vim, efficaciā, rectum vſum, & requiſitā diſpoſitionē ad illa dignè recipiēda populo enūciet, iuxta Trid. decr. & ad præſcriptū Cathechiſmi Rom. Pij V. iuſſu editi. *Trid. ſeſſ. 24. c. 7. de reform.*

## CAP. III.

QVoniam verò Sancta ſanctè tractari debēt, nè ira Dei in Miniſtros ſæuiat, Sacramēta miniſtraturi priusquàm ad tāti muneris functionem accedant, ſi lethalis culpę reos ſe eſſe ſenſerint, niſi neceſſitas vrgeat, & ſcādalum adſit, Sacramentali pœnitentia ſe abluant, vel ſaltem actū contritionis, aut perfectæ attritionis eliciāt. Neceſſe eſt.n. vt mūda ſit manus, quę diluere ſordes curat; &, vt legitur in ſacris litteris, mūdi debent eſſe, qui ferūt vaſa Domini; & rurſus, omnis qui acceſſerit ad ea, quę cōſecrata ſunt, in quo eſt immunditia, peribit coram Domino. Deinde Ritus, & cæremonias omnes, per Sanctam Romanā Eccleſiam ſeruari ſolitas, ad vnguem obſeruent, iuxta pręſcriptum Ritualis Romani. Semper aūt ſuperpelliceum, ac ſtolam geſtent, & ſi caput tegendum eſt, bireto clericali vtantur: Vtq; omnis abſit irreuerentia, caueant, nè dùm Sacramenta adminiſtrātur, diſſolutiones, riſus, deambulationes, *c. neceſſe eſt 1. q. 1.* *Iſaiæ 32.* *Leuit. 22.*

nes,

nes, aut clamores fiant; ſed qui aſſiſtunt, valdè deuoti ſint, cũ myſteria ſingularia noſtræ ſalutis in illis contineantur; quin etiam ea ſuſcipientes nõ ſolũ interiùs à mortali noxa debẽt eſſe immunes, ſed etiã exteriùs omnẽ moleſtiã, & reuerentiam præſeferentes, armis præſertim eo tpe depoſitis.

## CAP. IV.

1. Cor. 1.
Matth. 10.

CVmq; gratis communicãda ſint, quę gratis accepimus, vt omnis auaritię, vel ſimoniacę labis ſuſpicio de medio tollatur, & inter ſacra ſcandala non oriantur, diſtrictè præcipimus, & prohibemus, nè quid in Sacramẽtorum adminiſtratione directè, vel indirectè exigatur, vel petatur, ſub pœnis á Iure ſtatutis, alijsq; noſtro arbitrio imponendis. Non tamen per hoc ſpõtaneas illas oblationes, pietatis, vel eleemoſynæ titulo miniſtris pro labore, vel alia laudabili conſuetudine tradi ſolitas, intendimus prohibere: Volumus aũt, vt ante collationem nihil exigatur, poſt verò, laudabilis conſuetudo ſeruetur; ita quod ꝑ ſubtractationẽ ſpiritualiũ minimè exigatur, neq; videatur expreſsè exigi pro mercede, & pretio rei ſpiritualis conferendæ.

c. ad apoſtolicã, de ſimon. c. Cum in Eccleſiæ, & c. Ea, quæ, eod. tit.

d. c. ad apoſtolicã

Congr. Conc. 1. Febr. 1593.

## CAP. V.

PRęterea Sancta Eccleſię Sacramenta in loco etiã Sancto, hoc eſt in Eccleſia miniſtrari debent; ideoq; ad extirpandos abuſus, qui in Sacramentorũ, præſertim Pœnitentiæ, & Matrimonij admi-

adminiſtratione irrepſerunt, omnibus, & ſingulis Confeſſarijs, etiam Regularibus, ſub pęna reuocationis licentiæ audiendi cõfeſſiones, alijſq; noſtro arbitrio infligendis, præcipimus, & mandamus, nè intra domeſticos parietes ſacras Confeſſiones, præterquam Infirmorum, audire abſq; noſtra licentia vllo modo præſumant, nec etiam in Eccleſia Monialium, nec in alijs Cappellis, in quibus Sedes Confeſſionales de noſtra licentia, & approbatione nõ ſunt erectæ. Pariterq; mandamus Parocho, eiuſq; Subſtituto, nè matrimonium contrahentibus aſſiſtant, nè dum in priuatis domibus, ſed nec etiam extra noſtram Cathedralẽ Eccleſiam, abſq; noſtra, vel Vicarij noſtri expreſſa licentia ſub pœna arbitrij. *tit. 23. cap. 4.*

## CAP. VI.

DEmum quæ ſuperiùs ſtatuimus de non admittendis ad Sacramenta prorſus Chriſtianæ fidei rudibus, & ignaris, nec non de ijs, qui Sacramenta ipſa, vel Sacramentalia, vel res ſacras quaſcumq; conuerterint in alium vſum, quã ab Eccleſia vſurpata ſunt, confirmantes, iniungimus eiſdem Parocho, & Subſtituto, vt apud ſe tantummodò illlorum claues omni vigilantia cuſtodiant, nè fortè ſanctis myſterijs abutendi facilior aperiatur via. Quòd ſi eorum culpa, aut negligentia aliquid mali acciderit (quod Deus auertat) à Nobis ſæuiſſimè punientur.

*ſup. tit. 1. c. 4. §. 2.*

*ſup. tit. 6. c. 1. §. 1. & c. 2.*

*cap. 1. de cuſt. Euch. c. qui benè de conſecrat. diſt. 2.*

# TIT. IX.
## *De Sacramento Baptiſmi.*
## CAP. I.

*Trid. d. ſeſſ. 7. can. 4.*

SAcramenta nouæ legis, ſine quibus, vel eorum voto, gratia Iuſtificationis non adipiſcitur, licèt non omnia ſingulis neceſſaria, vt ſupra dicebamus, non ità inter ſe paria ſunt, vt nulla ratione aliud ſit alio dignius, quemadmodum in ſacris Canonibus, & in Tridentino Concilio ſãcitum eſt. Primum locum Baptiſmo dari, neceſſitatis, & temporis collationis illius ratio poſtulat; ſiquidem clara ſunt verba Seruatoris, quòd niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non poterit introire in Regnũ Dei. Vnde Baptiſmus vitæ chriſtianæ principium, ianua Sacramentorum, & prima poſt humanæ naturæ naufragium tabula, iure merito fuit appellatus.

*ibid. can. 3. cap. nulla de conſecr. diſt. 4. cũ concor.*

*Io. 3.*

§. 1. Vt igitur in huius tam neceſſarij Sacramenti adminiſtratione omnis tollatur abuſus, omniſque cautela adhibeatur, ſtatuimus, & ſub excommunicationis pœna mandamus Parentibus, vt intra tres dies à die partus, ſeù quàm citiùs potuerunt, Infantes ſuos baptizari faciant; tùm quia pericula multa imminent eorum teneræ ætati, tùm quia indignum eſt, vt adoptione filiorum Dei humana aliqua ratione diutiùs fraudentur. Non tamen alibi, quàm in Eccleſia Cathedrali illos ſiſtere teneantur, vbi Fons baptiſmatis aſſer-

*c. Eccleſia de conſecr. diſt. 4.*

aſſeruatur, niſi neceſſitas vrgeat, & periculum mortis immineat.

## CAP. II.

VT nihil in Eccleſia, id eſt in domo Chriſti, qui verus eſt Salomon, inordinatum, nihilque præpoſterum appareat, admoneantur à Parocho Obſtetrices, nè iam natos Infantes paſſim audeant baptizare, niſi imminente periculo mortis, & vbi Sacerdotis, vel Clerici, vel Laici copia opportunè nequeat haberi; quamobrem inſtruantur etiam à Parocho de debita forma, materia, & modo baptizandi. Non autem niſi de noſtra, vel Vicarij noſtri licentia, poſt examen concedenda, huiuſmodi munus exercere præſumant, ſub pœna excommunicationis. *c. conſtat cum ſequentib. ead. diſt.*

§. 1. Quòd ſi domi Infans in neceſitate baptizatus, poſtea reuixerit, cum primùm per valetudinem licuerit, ad Eccleſiam deferatur, vbi, ſi rectam baptiſmi formam ſeruatam eſſe conſtiterit, ritus tantùm, & cæremoniæ baptiſmi adhibeantur ſin minus, ſub conditione baptizetur iuxta formam Ritualis Romani. Idem quoque ſeruetur, cùm baptizandus offertur Infans expoſitus. Adulti verò nequaquam temerè baptizentur, ſed priùs noſtro conſpectui ſe præſentent, vt ſciſcitemur, ſint nè in fide Chriſti diligenti cathecheſi congruè inſtructi, & ad eam recipiendam benè diſpoſiti. *Cærem. Rom. fol. 45.* *c. ſiue paruuli cum ſequentib. ead. diſt. 4.* *c. de quibus de baptiſm.* *c. paruulos cum ſequentib. ead. diſt. 4.*

## CAP. III.

BAptizatum nè plures, ſed vnus, vel vna, aut ad ſummum vnus, & vna de ſacro fonte ſuſcipiant, Tridentina Synodo ſancitum eſt, quos & laudabilis vitæ, & honeſtæ famæ, & chriſtianæ pietatis cultores eſſe conſtiterit; neq; ſit Clericus in ſacris, neque Monachus, ſiuè Regularis, vel qui prima fidei rudimenta, vt ſupra diximus, ignorauerit, neque Infantis parens, neque minor quatuordecim annis, neque non confirmatus, neque excommunicatus, vel interdictus, neque Infidelis, Iudæus, aut hæreſi ſuſpectus, aut publica meretrix, aut publica infamia notatus, aut qui eo anno ex præcepto Eccleſiæ ſua non fuerit peccata confeſſus, & in Paſchate Sacramentum Euchariſtiæ non ſumpſerit.

*Trid. ſeſſ. 24. c. 2. de refor. matr. c. non plures cum ſeqq. de conſecr. diſt. 4. c. nedũ de cognat. ſpir. in 6.*

*c. vtrum ante. & c. ſuper eo, eod. tit. ſup. tit. 1. c. 4. §. 2.*

*vid. Azor. lib. 8. c. 11. quæſt. 7.*

§. 1. Duo autem viri, vel duæ fœminæ non admittantur, niſi alter vt principalis, alter vt procurator alicuius fœminæ abſentis, & ſic è conuerſo. Id quod diligenter adnotetur à Parocho in libro Baptizatorum ad ſciendum, inter quos cognatio contracta eſt: non enim procuratorio nomine tenentes ſibi ipſis, ſed ſuis principalibus contrahunt, prout pluries Sac. Congr. Concilij declarauit.

*Nouiſſimè in vna Tudertin. 16. Martij 1630*

§. 2. Nè autem magno huic Sacramento iniuria aliqua, vel vilipendium inferatur ex falſa denominatione Compatrum, & Commatrum, vt ſolent

Digitized by Google

ſolent aliqui inuicem appellari, cùm verè non ſint; hoc fortè religioſo nomine ſcandalum, ex eorum cõſuetudine ortum, tollere exiſtimantes, quod certè eo plus augeri non aduertunt, præcipimus, vt ij, qui verè per Baptiſmi, vel Confirmationis Sacramenta ſpiritualem cognationem non contraxerunt, tales ſub quouis prætextu ſe appellari non audeant,& contra facientes à Confeſſarijs non abſoluantur.

§.3. Cæterum Parentes Infantulis ſuis baptizandis non Paganorum,aut Gentilium nomina, ſed Sanctorum, aut Sanctarum, qui in Eccleſiæ Kalendario continentur, imponant, vt habeant ij, cum adoleuerint, præ oculis rectè ab illis factorum exempla, & quibus ſe, tanquam Patronis, in rebus omnibus commendent. Nec non ad euitandas ambiguitates, & fraudes, quæ oriri poſſunt, ſi quis plura nomina retineat, & vno poſteà vocetur, tollatur abuſus pluralitatis nominum, quæ ad ſummum duo non excedant. *Cathechiſm. Rom. tit. eo.*

## *CAP. IV.*

BAptiſmo peracto, Parochus ſuſceptores erudiat de contracta ſibi cum Baptizato, eiuſque Parentibus cognatione ſpirituali, vt inter ipſos matrimonium contrahi nequeat, & ſi contrahatur, omninò dirimi; omneſque tollantur abuſus, quibus quacumque alia ratione affinitatem *Trid. ſeſſ. 24. c. 2*

*Conſt. Pij V. 26. cum illis vicem, & 27. Ad Romanum.*

nitatem vulgus contrahi credit. Inſuper eoſdem admoneat, ſui muneris eſſe, filios, quos Chriſto ſpiritualiter generauerunt, Chriſtiana fide, pietate, & Catholicæ Religionis rudimentis, optimiſque moribus formari curare, ſi modò parentes id facere neglexerint. Poſtremò collatum Baptiſma cũ nominibus, & cognominibus Baptizati, parentum, & compatrum eiuſdem in libro, ad id deputato, deſcribat iuxta formam, in Rituali Romano præſcriptam.

*c. vos ante omnia de cõſecr. diſt. 4.*

*Rit. Roman. eo. tit.*

## CAP. V.

DEnique prægnantibus mulieribus iniungimus, vt vbi nonum menſem attingerint, peccata ſua confiteantur, & Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento muniantur. Puerperas autem hortamur, vt cum primùm conualuerint, præceptum auſcultandi Miſſam in feſtis diebus non omittant, quinimo ad Eccleſiam ſe conferant, Deo gratias acturæ, & à Parocho cæremoniam Purificationis recipiant.

*c. vnico de purificat. post part.*

vide etiã tit: XIII. cap: II. pag: 62.

TIT.

Digitized by Google

## *TIT. X.*

### *De Sacramento Confirmationis.*

#### *CAP. I.*

SVbſequitur Baptiſmo Confirmatio, vt ij, qui Baptiſmi gratia in vita ſpirituali ſunt geniti, Confirmationis Sacramento per plenitudinem gratiæ viri euadant perfecti, euacuatis, quæ erant paruuli. Eius namq; virtute Fideles augeſcunt, perficiuntur, & roborantur; & ſicut in Baptiſmate ad militiam Chriſti recipiuntur, ità in Confirmatione nouæ virtutis robore firmiores per ſeptiformem gratiã Spiritus Sancti coarmantur, & inſtruuntur ad pugnam.

*1. Cor. 12.*

*Cath Rom. eod. tit. c. 1. & c. nouiſſimè de cõſecr. diſt. 5.*

§. 1. Non igitur Confirmatio Baptizatorum otioſa cæremonia dicenda eſt, ſed verum, & proprium Sacramentum, à Chriſto Domino inſtitutum; Ideoque non ſolùm minimè negligendum, ſed ſumma cum pietate, & religione à Fidelibus ſuſcipiẽdum, nè ipſorum culpa eueniat, vt fruſtrà in eos diuinum hoc beneficium collatum eſſe videatur.

*Trid. ſeſſ. 7. de confirm. can. 1.*

#### *CAP. II.*

CVm autem huius Sacramenti ordinarius Miniſter ſit ſolus Epiſcopus, eique Chriſmatis conficiendi tempus, & modus in Sacris Cano-

*ibid can. 3.*

Digitized by Google

*c.litteris de conſecr.diſt.3. & c. omni tempore diſt.4.& c.te referēte de celebr. miſſ.*

Canonibus, & Pontificali Romano præſcribantur; pauca tantùm circa illius rectum vſum, & neceſſariam diſpoſitionem Confirmandorum, & Suſceptorum ſtatuère opus erit; ſiquidem nō ad ſolum Baptiſmum,ſed ad Confirmationem quoque Patrini adhibendi ſunt,quorum arte, & conſilio doceantur in ſpirituali certamine Confirmati pro fide Chriſti pugnaturi; & quemadmodum in Baptiſmate, ita & in Confirmatione ſpiritualis cognatio contrahitur, vt in Tridentina Synodo ſancitum eſt; licet vnus tantùm in hoc Sacramento ſuſceptor requiratur.

*ſeſſ. 24. c. 2. de reform.matrim.*

*c.Præſbiteri ead. diſt.4.*

§.1. Nullus ergo noſtræ Diœceſis ſiuè vir,ſiuè mulier ad illud ab alieno Epiſcopo excipiendum ſine noſtra licentia accedere audeat; Nemo etiā aliàs Confirmatus ad idem recipiendum iteratò accedat, quoniam ex vi,& natura characteris ab Eccleſia definitum eſt, Baptiſmi, Confirmationis, & Ordinis Sacramenta nulla ratione iterari debere. Vt autem de ſuſcepto Sacramēto omnes memoriam habere valeant, vtque eius gtatiam conſequantur, & perfecti Chriſti milites eſſe incipiant, minores quinquennio,quiue ſaltem prima fidei rudimenta non ſunt edocti, Eccleſiaſticis cenſuris innodati, & publici peccatores ad illud recipiendum non admittantur, neque vltra decennium ſuſceptio differatur, præſertim à fœminis, quæ ſi ad nubilem ætatem peruenerint, ob verecundiam, non ſine ſcandalo, & contem-

*Trid.ſeſſ. 7. de Sacram.can.9.*

*c.dictum cum ſeq. de conſecr. diſt.5.*

*c.vt ieiuni ead. diſt.*

ptu

Digitized by Google

ptu, illud omninò prætermittere ſolent. Adulti verò confirmandi priùs per Sacramentalē Confeſſionem à peccatis ſoluantur, vel ſaltem de illis perfectam contritionem habeant. *Ibid.*

§.2.Patrini autem non niſi Confirmati,& qui annum decimũ quartũ attigerint, Confirmãdos præſentent.Maſculi maſculos teneant,& fæminæ fæminas ob honeſtatem;non autē pater, aut mater,vir,aut frater,filium,vxorem, vel ſororem, neque è conuerſo;nec vltra duos eodem die abſque noſtra expreſſa licentia;neque ſint Regulares, nam à Sacris Canonibus prohibentur, neque Cenſuris Eccleſiaſticis irretiti,neq;peccatis, & delictis publicis inquinati, nec demum eſſentialia doſtrinæ Chriſti ignorent, vt alios docere poſſint. *c.in Baptiſmate, de cõſecr. diſt.4.* *cap. non licet ea diſt.4.* *c. peruenit. 18. q.2.*

§.3. Parochi verò partes erũt,de huius Sacramenti vi,& virtute populum docere,ſicut &Nos in eius adminiſtratione faciemus: Nec non librũ habere in tuto,in quo nomina, & cognomina Confirmatorum,& Patrinorum deſcribat, Sanctumque Chriſma in Eccleſia cuſtodire in loco; huic deſtinato,clauibus adhibitis, prout in viſitationibus præſcriptum eſt. Nec demum olea vetera comburantur,niſi habitis recentibus, vt adhiberi poſſint in caſu neceſſitatis. *cap. ſi quis eſt diſt.4.*



Digitized by Google

# TIT. XI.

## De Sanctiſsimo Euchariſtiæ Sacramento.

## CAP. I.

*S. Thom. 3. p. q. 65. ar. 3. in corp.*

INter cætera Eccleſiæ Sacramenta, ſi perfectionis ordinem inſpiciamus, primus locus Auguſtiſſimo, & ineffabili Euchariſtiæ Sacraměto iure debetur: in eo namque illud excellens, & ſingulare reperitur, quòd reliqua Sacramenta tunc primùm Sanctificandi vim habent, cùm quis illis vtitur; at in Euchariſtia ipſe totius Sāctitatis author, & fons realiter, ante vſum, eſt; quapropter Latriæ cultus, etiam externus, qui vero Deo debetur, in eius veneratione eſt exhibendus: Nondùm enim Euchariſtiam de manu Domini Apoſtoli ſuſceperant, cùm verè tamen ipſe affirmaret, Corpus ſuum eſſe, quod præbebat; tunc ſcilicet, cùm Saluator noſter diſceſſurus ex hoc mundo ad Patrem, Sacramentum hoc inſtituit, in quo memoriam faciens mirabiliũ ſuorum, cunctas immenſæ ſuæ charitatis pro nobis venas aperuit, ſumique voluit tanquam ſpiritualem animarum cibum, quo alantur, & conforten-tur viuentes vita illius, qui dixit, qui manducat me, & ipſe viuet propter me, & tanquam antidotũ, quo quotidianis liberemur à culpis, & à peccatis mortalibus præſeruemur, quin etiam idem pignus eſſe voluit futuræ noſtræ gloriæ, atque fœlicitatis æternæ.

*Trid. Seſſ. 13. c. 3. & 5. & can. 4. & 6.*

*Matth. 26. Marc. 14.*

*Pſal. 110.*

*Ioann. 6.*

§. 1. Si

Digitized by Google

§. 1. Si autem, vt ſupra dicebamus, non decet ad vllas Sacras functiones quempiam accedere niſi Sanctè; certè cauere debent fideles quàm maximè, nè abſque magna reuerentia, & Sanctitate ad hoc Sanctiſſimum, & Diuiniſſimum Sacramentum percipiendum accedant, memores illius tremendæ ſententiæ, qui manducat, & bibit indignè, iudicium ſibi manducat, & bibit, nō dijudicans Corpus Domini: quare nè illud indignè, atque ideò in mortem, & condemnationem ſumatur, nullus, etiam Sacerdos, quem ſibi mortalis eſſe noxæ conſcium, conſcientia ſtimulat, quantumuis ſe contritum exiſtimet, abſque præmiſſa Sacramentali Confeſſione ad hoc tremendum, & venerandum Sacramētum accedere præſumat, ſi adſit copia Confeſſarij: quòd ſi, neceſſitate vrgente, Sacerdos abſque præuia Confeſſione celebrauerit, quàm primùm poſtea confiteatur. Neque communicaturi, preſertim Laici, & qui raro Sacra Communione refici ſolent, ſtatim à peccatorum Confeſſione Communicent, ſed per aliquod tempus orationibus, ac bonis operibus incūbant, vt non niſi benè probati de pane illo Angelorum edant, & de Calice Dñi bibant.

*1. Cor. 11.*
*c. qui ſceleratè, cum ſequentibus de conſecr. diſt. 2.*
*Trid. Seſſ. 13. c. 7. & can. 11.*
*1. Cor. 1.*
*Pſal. 77.*

## CAP. II.

CONuenientibus igitur in hanc Sacram Synaxim Parochus vim, & vitutem illius declarabit, eoſq; monebit, qua deuotione, reuerentia,

*Cath. Rom. eo tit.*

tia,& compoſitione non ſolùm interiori,ſed etiã exteriori,oculorum dimiſſione, & cultus obſeruantia ſit accedendum ad tàm Sacrum, & Magnum conuiuium: Nec accedere ſinat feſtinanter, ſe inuicẽ comprimentes; non ſint mixti homines cum fœminis,non homines armati, nec fœminæ nimis comptæ,& fucatæ, ſed omnes & animo,& habitu humilitatem præſeferentes.Furioſi verò,Amentes,pueri,adeoq; rudes, vt Corpus Domini à prophano, & communi pane neſciant diſcernere ab eſu tanti Sacramenti penitùs arceantur.Publici quoq; Concubinarij, Vſurarij,Meretrices,Blaſphemi, reſtitutioni obnoxij, alijque publici peccatores,abſque noſtra licentia non admittantur.

*Ibid.* §. 1. Præterea ijs, qui tunc primùm Euchariſtiam ſumere voluerint, eam Parochus nequaquam præbeat, niſi rationis vſum habuerint, & benè ſint inſtructi de natura,& virtute huius Admirabilis Sacramenti, & de neceſſaria præparatione ad illud recipiendum; quòd ſi hæc omnia edocti pueri,aut puellæ decimum iam annum attigerint, diutiùs hac Sacra refectione carere, à Parentibus,Confeſſarijs, & Parocho non permittatur.

*c. omnis homo de conſecr. diſt. 2.* *1. Reg. 21. cap. tribus ead. diſt.* §. 2. Illud etiàm tanti Sacramenti dignitas expoſcit,vt qui matrimonio iuncti ſunt, aliquot dies à concubitu vxorum abſtineant, Dauidis exemplo admoniti,qui cum Panes propoſitionis

à Sa-

à Sacerdote accepturus eſſet, purum ſe, & pueros ſuos ab vxorum conſuetudine tres ipſos dies eſſe profeſſus eſt.

## CAP. III.

IN adminiſtratione Euchariſtiæ, nihil ſordidũ ſit, vel indecens, ſed omnia munda, vt tantum decet Sacramentum, & Nos in Viſitatione generali præcipimus. Caueantque, nè qua particula inter miniſtrandum decidat, id quod palla à Diacono, vel ſi ab Epiſcopo Communio fiat, Patena Calicis Communicantis mento ſuppoſita, vel alia commodiori ratione præſtabitur: quòd ſi Particulæ conſecratæ non ſufficiant, minimè diuidantur, niſi in caſu neceſſitatis; Ideoque potiùs plures, quàm pauciores conſecrentur, quæ ſi numerum denarium excedat, intus Pyxidem, non autem ſuper Patena diſtribuantur, nè decidant: ſi verò remanſerint, in craſtinum non ſeruentur, ſed conſumantur à Celebrante.

tit. de admin. Euch. in Eccl.

d. c. tribus.

§. 1. Prohibemus inſuper Cõmunicandis oſculari manum communicantis Sacerdotis, & quãuis vſum propinandi aquam ijs, qui Euchariſtiã ſumpſerunt, non improbemus, non tamen in Calice Conſecrato, vel in alio vaſe, ad eius ſimilitudinem efformato, porrigi volumus, etiam ſi Sacerdotes Communicent extra Miſſam: Vini verò propinationem omnibus interdicimus.

CAP. IV.

Trid. Seſſ. 25. c. 8.

CÆterùm nè in tanta diuinæ gratiæ affluentia Chriſti Fideles fame moriantur, hortentur, & toto pectore moneantur à Parocho, Confeſſarijs, & Concionatoribus omnes, & ſinguli, qui Chriſtiano nomine cenſentur, vt in hoc vnitatis ſigno, in hoc vinculo charitatis, in hoc concordiæ ſymbolo conueniant, & concordent, & panem illum ſuperſubſtantialem frequenter omni animi deuotione ſuſcipiant, maxima indé, & ingentia beneficia conſecuturi.

c. hoc Sacramentum., & c. quia paſſus, de conſecr. diſt. 2.

Act. 2.

§. 1. Licèt autem tempus olim fuerit, cùm Fideles quotidiè Euchariſtiam acciperent., cum tamen deinde charitas, ac pietatis ſtudium adeò refrixiſſet, vt raro admodum ad illam accederet, priùs ſancitum fuit, vt ter quotannis, Natali ſcilicet Domini, Reſurrectione, & Pentecoſte omnes communicarent; ac demùm vt ad minùs ſemel in anno id facere teneantur tẽpore Paſchæ, alioquin, & viuentes ab ingreſſu Eccleſiæ arceãtur, & morientes Chriſtiana careant ſepultura, in Lateranenſi Concilio ſtatutum eſt. Non tamẽ Paſchale tempus de ſolo die Paſchæ intelligendum, ſed illud incipere à Dominica Palmarum, per totam Dominicam in Albis, generalis vſus Eccleſiæ, & Eugenij IV. Cõſtitutio declarauerũt.

Conc. Agath. c. 18. c. & ſi de conſecr. diſt. 2.

c omnis vtriuſq. ſexus de pœnit. & remiſs. Sub Inn. III. cap. 2.

Incip. Fide digna.

§. 2. Mandamus igitur ſub pœnis prædictis omnibus vtriuſque ſexus Chriſti Fidelibus, vt intra præmonitum tempus Euchariſtiam ſumant

in

Digitized by Google

in Eccleſia Cathedrali de manu proprij Sacerdotis, niſi is iuſta de cauſa Communionem in aliud tempus produxerit, quod tamen vltra mēſem protrahere nequeat, ſed à Nobis petatur dilatio, & niſi quis alibi Communicandi ob aliquam rationabilem cauſam à nobis, vel Vicario noſtro licentiam obtinuerit, quam Parocho notificare teneatur, & eidem atteſtationem afferre, vt in libro adimplementi deſcribat. Regulares verò, qui Sacramentum Euchariſtię in die Paſchatis adminiſtrare præſumpſerint, etiam deuotionis cauſa, ſciant, ſe in excommunicationem eo ipſo incurriſſe iuxta Clem. VIII. Conſtitutionem. Omnes item de Clero tàm in Sacris, quàm in minoribus Ordinibus conſtituti, vel prima Clericali tonſura initiati Feria V. in Cœna Domini è manibus noſtris Corpus Chriſti recipiāt, & Sacerdotes, vltra coctam, Stolam etiam circa collum geſtent. Ac demum in VI. Feria Paraſceue nullus, præter Infirmos, Communicet, prout S. Rituum Congregatio decernit.

*Clem. Religioſi de priuileg.*

*c. in Cœna Domini de conſecr. diſt. 2.*

*c. in Cœna de celebr. Miſſ.*

*19. Febr. 1622.*

§. 3. Parochus autem quotannis librum ſtatus animarum renouet, & decurſo tempore præcepti adimplendi, hoc eſt, Dominica in Albis, inter Miſſarum ſolemnia moneat, omnes non Cōmunicatos iam præcepti trāſgreſſores effectos eſſe, Noſque ipſis indulgere, vt illud adimplere poſſint intra alium terminum octo dierum, ideſt, per totam Dominicam ſecundam poſt Paſcha;

ſiqui-

Digitized by Google

ſiquidem tempus prædictum quemadmodum non poteſt anticipari à tertia Dominica Quadrageſimæ, ità nec differri ad tertiam Dominicā poſt Paſcha, prout eadem S. Rituum Congregatio declarauit. Denique idem Parochus, tranſacta die Aſcenſionis Domini, Nobis, vel noſtræ Curiæ nomina, & cognomina non Communicatorum deferat, vt tanto facinori condignas pœnas ſubire cogantur.

*In vna Granaten. 15. Febr. 1614.*

## CAP. V.

*c. Preſbyter. de conſecr. diſt. 2.*

Conſuetudo ſeruandi in Sacrario Sanctam Euchariſtiam in Eccleſijs Cathedralibus, Collegiatis, & Parochialibus ad vſum deferendi ad Infirmos, aut in alijs deuotionis cauſa, adeò antiqua eſt, vt eam ſæculum quoque Niceni Cōcilij agnouerit, cum etiam multis alijs Concilijs præſumptum eſt, & vetuſtiſſimo Catholicæ Eccleſiæ more obſeruatum, prout Tridentina Synodus recenſet. Vt autem digno in loco, honorabili, conſpicuo, mundo, & obſerato ſeruetur, & cuſtodiatur, & qua decet reuerentia, cultu, & honore ad Infirmos deferatur, proceſſionaliter geſtetur, pro Oratione quadraginta horarum exponatur, & in Sepulchro in ſignum Dominicæ Sepulturæ recondatur; decreta omnia, in noſtra prima generali Viſitatione prolata, innouamus, eaque ſingula ſub cenſuris, & pœnis, ibidem ſtatutis,

*Seſſ. 13. c. 6.*

*c. ſanè de celebr. Miſſ.*

*In Viſit S S. Eucariſt, Sacr.*

tutis,& cõminatis,obſeruari pręcipimus,&mandamus ; Rogantes omnes Eccleſiaſticas perſonas,Sodales Confraternitatis Corporis Chriſti, ac denique populum vniuerſum,vt,audito Campanæ ſono, omnes accurrant, & Sanctiſſimam Euchariſtiam venerando obſequio comitentur, quadraginta dierum indulgentiam lucraturi ; ſi enim erga vmbram Sanctus ille Rex Dauid tàm celebrem cultum legitur exhibuiſſe, quid faciendum erga puriſſimam illam Arcam,vbi corporaliter inhabitat omnis plenitudo diuinitatis? *2.Reg.6.*

§.1.Diuturna ægritudine laborantibus,etiam citra mortis periculum, Sacræ Euchariſtiæ ſumendæ deſiderio fragrantibus,ijs præcipuè, qui integra valetudine frequenter hoc Diuino cibo paſcebantur, tàm ſalutare pharmacum non denegetur;quòd ſi Infirmus, periculosè ægrotans, huiuſmodi Viaticum ſumpſerit, & poſt dies aliquot iteratò communicare petierit, eidem concedatur.

§.2.Præterea prohibemus, Sacramentum hoc retineri in Cappellis Confraternitatum, & Oratorijs Congregationum Laicorum ſine noſtra expreſſa licentia:non enim pro ſola adoratione retinendum eſt.Pariterque vetamus, illud publicè exponi pro Oratione quadraginta horarum non ſolùm in ijſdem Cappellis,& Oratorijs, verùm etiam in Eccleſijs Regularium ſub quouis prætextu,ſine eadem ſpiciali licentia, cauſa co- *S.Rit.Cong.19. Iun.1604.* *Ead.27.Maij 1603. 14. Apr. 1615.17. Aug. 1630.*



Digitized by Google

gnita concedēda, quæ publicam debet cōcernere vtilitatem, aliàs Euchariſtia non extrahatur à Tabernaculo ſuper Altare, & Hoſtia ſit velata, nè videatur, prout S. Rituum Congregatio pluriès decreuit. Neque præfati Regulares Sacram Euchariſtiam proceſſionaliter geſtent extra ambitū ſuarum Eccleſiarum, præcipuè in feſto Corporis Chriſti, & in Feria V. in Cœna Domini. Licèt autem Fratres Dominicani per Breue Clemen. VIII. id efficere poſſint per vicos, & plateas, ab eis eligendas, tamen ſemel electas mutare non poſſunt, vt eadem S. Congregatio declarauit.

*Ead. 12. Decēb. 1613. 28. Aug. 1615. 17. Febr. 1617.*

*14. Nou. 1615. 10. Iul. 1619.*

§. 3. Quando demùm Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum in Eccleſia expoſitum eſt, nullum aliud Sacramentum, Pœnitentia excepta, miniſtretur abſque noſtra expreſſa licentia; Nobis enim reſeruamus, neceſſitati Fideliū prouidere, irreuerentia vitata.

TIT.

Digitized by Google

## TIT. XII.
### De Celebratione Miſſarum.

### CAP. I.

QVemadmodum Euchariſtia, vt Sacramẽtum eſt, cœteris antecellit, Ideoque Sacramentum Sacramentorum à Sanctis Patribus appellatur; ità pariter, vt Sacrificium eſt, bona omnia, quæ tàm ante, quàm poſt latam legem varijs Sacrificiorum generibus (quibus prænuntiata fuit) ſignificabantur, eadem vna victima, tamquam omnium perfectio, & abſolutio complexa eſt. Vnum etenim, & idem Sacrificium eſſe, credere debemus, quod in Miſſa peragitur incruentè, & quod in Cruce cruentè ſemel oblatum eſt, quemadmodum vna eſt, & eadem Hoſtia, ſola offerendi ratione diuerſa; Vnus eſt idem Sacerdos Chriſtus Dominus, vnde Miniſtri, qui hoc ſacrificium faciunt, non ſuam, ſed Chriſti perſonam ſuſcipiunt, ideoque in hæc verba Corpus, & Sanguinem Chriſti conſecrãt, Hoc eſt Corpus meum, Hic eſt Calix Sanguinis mei. Quæ cum ita ſint, abſque vlla dubitatione credendum eſt, Sacroſanctum Miſſæ Sacrificium eſſe non ſolùm Laudis, & gratiarũ actionis, ſed verè etiam propitiatorium Sacrificiũ, quo Deus nobis placatus, & propitius redditur; itaut non ſolùm immolanti, & ſumenti proſit, ſed omnibus

*Cath. Rom. tit. de Sacr. Euch. ad fin.*

*cap ſemel ſi cum ſeq. de conſecr. diſt. 2.*

*cap. panis eſt &c. diſt.*

*Trid. Seſſ. 22. c. 2. & can. 1. & 3.*

etiam Fidelibus, ſiuè illi nobiſcũ in terris viuãt, ſiuè iam in Domino mortui, nondùm ad plenum purgati ſint.

*Idem Seſſ. 25. D. de Purgat. in princ.*

§. 1. Cum igitur nullum aliud opus adeò Sanctum, ac Diuinũ à Chriſti Fidelibus tractari poſſit, quàm hoc ipſum tremendũ Myſteriũ, & admirabile Miſſæ Sacrificiũ; magna cura, & diligentia adhibẽda eſt, vt omni Religionis cultu, ac veneratione celebretur, maximè cũ in Sacris Litteris ille maledictus dicatur, qui facit opus Dei negligẽter. Cũq; in generalibus Viſitationibus cõperiſſemus, multa, Sacerdotũ incuria, irrepſiſſe, quæ à tãti Sacrificij dignitate aliena videtur, vt ei debitus honor, & cultus ad Dei gloriam, & fidelis populi ędificationem reſtituatur, quæ inferiùs mãdantur, vel prohibentur, ſeriò perficienda, aut cauenda, præcipimus, & mandamus.

*dict. Seſſ. 22. in d. de obſeru. in celebr. Miſſ.*

*Hier. 42.*

## CAP. II.

PRincipiò autẽ hortamur omnes, in Sacerdotali Dignitate cõſtitutos, vt qua decet animi reuerentia, cordis veneratione, & conſcientiæ puritate nitentes, Sacroſanctum hoc miniſteriũ tractent. Si enim olim mundi eſſe iubebantur, qui Domini vaſa ferebant, quanta puritate fulgere oportebit, qui modò puriſſimam Chriſti Carnẽ, & pretioſiſſimum Sanguinem Deo Patri offerũt, comedunt, & bibunt? Vnde Auguſtinus: O quàm puræ

*Iſaiæ 52.*

*cap. neceſſe eſt 11. q. 1.*

Digitized by Google

puræ debent eſſe manus Sacerdotis, quàm purũ os,quàm Sanctum Corpus,& quàm immaculatũ cor,ad quæ toties ingreditur Author puritatis? Nemo igitur, niſi bono conſcientiæ teſtimonio prædictus, & pœnitentia ſalutari, vt aliàs diximus,præparatus, atque probatus ad huiuſmodi Sacrificium accedat; aliàs conſultiùs aget abſtinendo,nè de ſingulari pharmaco ſibi miſerabiliter æternam mortem acquirat;quod ipſe Dominus proteſtatur,Sacerdotibus dicens: Ecce ego ſum in manibus veſtris, facite mecum,quod bonum eſt in oculis veſtris, verùmtamen ſcitote, quòd ſi occideritis me, Sanguinem meum à vobis requiram.

*lib.2.quæſt. Euāgel.c.40.*

*tit.præced.c.1.*

*Hier.26.*

§.1. Statuimus ergo, vt qui pridiè temulẽtus, inſolenſque fuerit,aut notorium crimen admiſerit,à Miſſæ celebratione abſtineat,nè ſcandalum populo pariat,& irreuerentiam tanto Sacramẽto irroget.Publicè verò,& notoriè criminoſi, niſi ſeriò reſipuerint,& vitæ caſtigationis exemplo priorem impudentiam deleuerint, ab Altari arceantur. Inquiſitis quoque,habilitatis per Palatium à noſtra Curia, pendente cauſa Inquiſitionis,Miſſarum celebrationem interdicimus, niſi delicta ſint leuia, & Nobis, vel Vicario noſtro ſcandalum ceſſare videbitur. Alij demùm neque Miſſam celebrent,*niſi priùs Matutinum, & Primã de die dixerint*, quod, rationabili impedimento ceſſante,omninò ſeruandum eſt.

CAP.

Digitized by Google

## CAP. III.

VT autem à ſuis principijs rem tàm neceſſariam exordiamur, ſtatuimus, nè ad Presbyteratus Ordinem promoti (de qua etiam promotione ſuo loco verba faciemus) primam Miſſam celebrare audeant, niſi de noſtra, vel noſtri Vicarij licentia, in ſcriptis concedenda, poſtquã à Magiſtro Cœremoniarũ fuerint examinati, vtrùm inſtructi ſint in Cœremonijs, ac ritibus requiſitis iuxta rubricas Miſſalis Romani reformati, tàm generales, quàm particulares, quibus nihil addendum, nihilque detrahendum, ſed ad vnguem ſeruandas eſſe ſciant; Ideoque ſæpè pre manibus illas habere, & attentè Sacerdotes legere debent; quemadmodũ etiã decreta S. Rituum Congregationis, Vrb. VIII. authoritate edita, cũ illorum pluribus declarationibus eiuſdem Congregationis.

*Contra tit. 15.*

*Trid. loc. cit.*

*21. Jun. 1625.*

§. 1. Nulli itaque Ritus, nullæque Cæremonię adhibeantur, præter ea, quæ in Miſſali prædicto continentur: Cumque res ſingulę, & quilibet motus, ac geſtus in Miſſa Myſterium aliquod particulare contineat, nè irreuerenter, & obſcitanter fiant, neceſſe eſt, vt à Sacerdotibus huiuſmodi ſignificationes non ignorentur; quare ijsdem iniungimus, vt librum penès ſe habeant, cuius titulus Rationale Diuinorum Officiorum, vel ſaltem alium, qui dicitur Ordo Miſſæ, ſiuè Sacerdotale.

§. 2. Pro

Digitized by Google

§.2.Pro dicta prima Miſſa,à nouello Præsbytero celebranda,conuiuia,& commeſſationes fieri prohibemus, maximè ſi interueniant inſtrumenta muſicalia,choreæ,ſaltationes, & ſimilia. Honeſtas verò,& priuatas refectiones inter domeſticos,familiares,conſanguineos, vel Conſacerdotes,ſi fiant ſobriè, & frugaliter, religioſaq; ſpiritualium ſermonum ſuauitate condiantur, tolerabimus. *cl.1.de celebr. Miſſ.*

§.3.Alieniginæ verò,& incogniti Sacerdotes, de longinquis partibus aduenientes, nullo pacto admittantur ad celebrationem, ſeù aliud Sacerdotale miniſteriũ,niſi teſtimoniales litteras proprij Ordinarij,originales,omni prorſus falſitatis vitio carentes,realiter oſtendant,de eorum ordine,& exercitio atteſtãtes,ſub pœna carceris per ſex menſes, & in ſubſidium ſuſpenſionis à Diuinis, iuxta litteras S. Congregationis Supremæ Inquiſitionis.Neq; Sacerdotes peregrinos alienæ Diœceſiis abſque litteris cõmendatitijs ſuorum Ordinariorum in Eccleſijs noſtræ iuriſdictionis celebrare permittantur, niſi ſint ex locis vicinis,& benè noti, eſſe verè, & bonæ vitæ Sacerdotes;quod etiam in Eccleſijs Regulariũ ſeruandum erit.Celebrantes itaque contra formam huius decreti pænam carceris duorum menſium incurrent,& Sacriſtæ,etiam Regulares,ſuſpẽſionẽ à Diuinis,iuxta S.Congregationis decretum. *8.Maij 1649.* *Trid. loc. cit. & Seſſ.23.c.16.de reform.* *Congr. Ep. 26 Ian.1588.* *Congr. Con.12 Nou.1594.* *In vna Neapol. 17. Aug.1630.*

CAP.

## CAP. IV.

*Trid. loc. cit. c. Clericos, & c. ſicut cum ſeqq. de conſecr. diſt. 1.*

NEque Sacerdotes celebrent, niſi in Eccleſijs, & Oratorijs, à Nobis recognitis, & approbatis, non autem in Eccleſia Monialium abſque noſtra, vel noſtri Vicarij licentia ſub pœna ſuſpenſionis. Neque ante Auroram, vel à Meridie, niſi ex cauſa, à Iure permiſſa; ſint quoque ſine coma, & Clericali Corona inſigniti, aliàs ad celebrandum non admittantur; nec non ſacris veſtibus induti, quibus tempore Ordinationis fuerunt conſecrati, aliàs excõmunicationi ſubiacebunt. Inſuper nemo eorum annulos geſtet in digitis ſub pœna amiſſionis eorundem, etiam ſi Doctores, Canonici, vel Prothonotarij ſint de numero non participantium; neque pileolos, quamuis Valetudinarij, niſi licentia obtenta à Sanctiſſimo, prout eadem S. Rituum Cõgregatio decreuit, Sacrorum Canonum veſtigijs inhærẽdo. Neque in Altari, in quo Epiſcopus Miſſam celebrauit, Sacerdotes eodem die celebrent; neque in die Cœnæ Domini, niſi ſolus Epiſcopus in ſua Eccleſia Sacrum facere audeat.

*c. Eccl. 23. diſt.*

*Congr. Rit. 11. Febr. 1623. & 20. Nouembris 1628.*

*16 Febr. 1619. 24. Apr. 1626. c. nullus de conſecr. diſt. 1. c. in Altari de cõſecr. diſt. 2. c. te referente de celebr. Miſſ.*

§. 1. Celebraturi autẽ ieiuni ſint, & vbi, facta prius breui ſaltem Oratione, ſacris veſtibus ſe ſe induerint, cum alijs non confabulentur, neque loquentibus dent aurem, nè diſtrahantur; quique in Sacriſtia Pœnitentiæ Sacramentum ſuſcepturi ſunt, id faciant, antequam Sacras veſtes induerint. Præterea vt Calices, Corporalia, Pallæ, Purifi-

*c. Sacramenta de conſecr. diſt. 1. & c. nihil 8. nullus 7. q. 1.*

Digitized by Google

rificatoria,aliaque ad Miſſam neceſſaria,munda,
nitidaque ſint,curam adhibeant ; nimis enim *cl.grăui de celebrat.Miſſar.c.2.*
abſurdum videtur, in Sacris ſordes admittere, *de cuſt. Euchar.*
quæ dedecent in prophanis. Veſtimenta autem
Sacra, Sacraque vaſa,præ vetuſtate conſumpta, *c.Altaris de conſecr.diſt.1.*
comburantur,& Cineres in Sacrarium proijciã-
tur;Nullumque indumentum, aut ornamentum
adhibeatur,niſi à Nobis, vel ab alio huiuſmodi
facultatem habente,Eccleſiaſtico ritu fuerit be-
nedictum;quo circa caueant omnes, tales bene-
dictiones petere à Superioribus Regularium, *Congr. Rit. 29. Aug. 1609. & 13.Mart.1632.*
cum illi pro vſu ſuarum Eccleſiarum tantùm id
efficere poſſint.Non autem in ſerico panno, aut
in tincto quiſquam celebrare Miſſam præſumat,
ſed in lineo puro,ſicut Corpus Domini noſtri Ie- *c.conſultò de cõſecr.diſt.1.*
ſu Chriſti in Sindone linea munda ſepultũ fuit.
Nec niſi à Sacratis hominibus veſtimenta Sacra-
ta ferantur,aut Sacra vaſa tractentur, prout Sa- *c.veſtimenta, & c in ſancta ca. diſt.*
cri Canones iubent. Vinum etiam præparetur
recens in ampullis vitreis decentibus, quod ne-
que ſit corruptioni proximum ; Hoſtia verò ſit
integra,ſolida,nec nimis vetuſta.Omnia itẽm in
Miſſa dicenda priuatim prælegant, nè celebran-
do errandi periculum ſubeant; dumque Altare
adeunt,vel inde,facto Sacro,reuertuntur,nemini
caput aperiant,neminemuè expectent, neque
Miſſam iam inchoatã iterùm inchoent , ſed pro-
ſequãtur;non autem inchoent, niſi omnibus ne-
ceſſarijs præparatis, candeliſque accenſis, quæ

K non

non niſi abſoluto vltimo Euangelio extinguantur. Intorcitiũ quoq; habeant, & tintinnabulum, quæ in eleuatione Sanctiſſimi adhibeantur. Canonem memoriter non pronuntient, ſed, quòad fieri poteſt, attentè legant, nec non omnia, quę in Miſſali, vel tabella ſecretorum legi poſſunt, licèt memoriæ mãdata, ſimiliter legant; ſecreta ſecretò pronuntient, & palàm pronuntianda elata voce proferant, nunquam autem vociferẽtur: Verba vltimi Euangelij Diui Ioãnis, cùm illud legẽdum eſt, integrè, neque celeriùs, neque tardiùs, quàm par eſt, proferantur. Cœterùm cum reuerentia, ac modeſtia diſtinctè, non nimis feſtinanter, nec nimis prolixè celebrent, itaut adſtantib⁹ magis pietas, quàm faſtidium generetur; Ac demùm, peracta Miſſa, neminem, præter Epiſcopum, ſalutent, & pro ſummi beneficij munere Deo Opt. Max. gratias agant.

## CAP. V.

MIſſæ priuatæ vnus tantùm Miniſter adſit, iſque Clericus, ſuperpellicio indutus, qui deuotè inſeruiat Celebranti, vbi tamen id commodè fieri poterit. Si quis autem Clericus, noſtræ Cathedralis Eccleſiæ ſeruitijs adſcriptus, per diem ſuæ hebdomadæ, vt vocant, ſuo muneri non ſatisfecerit, iuxta conſuetudinem, & edictum noſtrum mulctabitur. Laici verò propiùs

ad Altare non accedant, præſertim mulieres, neque biretum, aut id genus aliquid in Altare ponatur.

§. 1. Neque liber Euangeliorum tradatur oſculandus in Miſſa, niſi Epiſcopis, & maioribus Prælatis in eorum reſidentijs, magnoque Principi, Superiorem non recognoſcenti, cui non liber, in quo celebratur Miſſa, ſed alius, per aliquem Clericum, non per Subdiaconũ porrigatur: Nũquam verò Gubernatoribus Ciuitatis, vel etiam Prouinciæ, alijſvè quamuis Magnis Miniſtris, aut Dominis locorum, prout à S. Congregatione Epiſcoporum, & Rituũ declaratum eſt. Neque in Miſſa ſolemni Subdiaconus det pacem Laicis, quauis dignitate fulgentibus, nam eadem S. Cõgregatio prohibuit. Inſuper Sacriſta dùm in Miſſa maiori Sacroſancta Euchariſtia populo adoranda eleuatur, Campana magna ſignum dabit; & in die Sabbati Sancti tàm Secularium, quàm Regularium Campanæ ante Cathedralis Eccleſiæ ſignum minimè pulſentur.

*Congr. Ep. 22. & 28. Augusti 1589.*

*Congr. Rit. 17. Iul. 1604. & 17 Sept. 1615.*

*Ead. 5. Iulij 1614.*

*Ead. 21. Martij 1609.*

## CAP. VI.

POpulus ſaltem feſtis diebus in Eccleſia Cathedrali Miſſam audiat, prout alibi diximus. Vtque id ab omnibus commodè fieri poſſit, curabimus, vt in hac noſtra Cathedrali duæ particulares Miſſæ quotidiè celebrentur, altera

*ſup tit. c. 5.*

paulò ante meridiem poſt Conuentualem, altera in Aurora pro Ruſticorum, Viduarum, Puellarũ nubilium, & pauperũ, veſtibus cōdignis carentium, commoditate, provt S. Cong. præcepit.

*c. neceſſe de conſecr. diſt. 1.*

*28. Febr. 1592.*

§. 1. Qui autem Miſſæ Sacrificio interſunt, cõpoſito corporis habitu ſe mente etiam, ac deuoto cordis affectu, non ſolùm corpore adeſſe declarent; & aperto capite ſint, & genuflexi, præterquàm in Euangelio, quod ſtantes audiant, nec priùs diſcedant, quàm Sacerdos Euangeliũ, quod poſt benedictionẽ dicitur, abſoluerit, quin etiam illũ priùs ab Altari diſcedere ſinãt. At verò nominatim excõmunicati, vel interdicti tempore celebrationis Miſſarum, & Diuinorum Officiorum ab Eccleſia expellantur, vt Sacri Canones iubẽt; aut, illis præſentibus, Sacerdotes ante Canonis inchoationem à celebratione deſiſtant. Reſiſtentes autem ob pertinaciam aliam excõmunicationem incurrent, maximè ſi Sacerdotes compellant ad celebrandum.

*Trid. loc. cit.*

*c. Apoſtolica de conſecr. diſt. 1.*

*c. Miſſas cũ ſeq. ead. diſt.*

*c. ſignificauit, c. nuper de ſenten. excom. arg. c. relatum de conſec. diſt. 2.*

*el graues de ſēt. excom.*

## CAP. VII.

NOn niſi ſemel ſingulis diebus celebrare liceat, Natalis Domini celebratione excepta, nec non in alijs caſibus à iure permiſſis: Nullusque Sacerdotum, ſaltem Dominicis, & ſolemnibus diebus, niſi iure impediatur, Miſſam celebrare omittat; Parochus verò, vel alia ex cauſa obligatus, tàm frequenter, vt ſuo muneri ſatisfaciat.

*c. conſtituiſti, & c. te referente de celeb. Miſſ. cap. ſufficit, & c. nocte ſancta, vbi gloſſ. de conſecr. diſt. 1.*

*c. fin. de priuil. in 6.*

*Trid. Seſſ. 23. c. 14.*

§. 1. Quo-

§.1.Quoniam verò in Viſitationibus adinuenimus, nonnullos,turpem quæſtum affectantes, ſuſcepiſſe incompatibilia onera Miſſarum, quibus in pietatis,ac deuotionis fraudem,nequeunt ſatisfacere;ſtrictè prohibendo mandamus omnibus Eccleſiaſticis,noſtræ Iuriſdictioni ſubiectis, nè plura Miſſarum onera ſuſcipiant, quàm quæ commodè ferre valeant,aliàs graues pœnas noſtro arbitrio ſubire cogētur. Qui verò huiuſmodi onera Miſſarum, quæ perpetua ſunt,ſine noſtra,vel Vicarij noſtri licentia in ſcriptis receperint,ſciant,ſe ab ingreſſu Eccleſiæ eo ipſo interdictos, prout à S.Congregatione Concilij ſub Vrb.PP.VIII.decretum fuit.Quæ licentia ijs,qui Miſſas ſupra vires celebrandas recipere cupiēt, non concedetur. Neque prætere a ignorare debent,fuiſſe ab eadem Congregatione ſub Paulo V. prohibitum,celebrare Miſſam cũ reſeruatione applicandi eius valorē pro primo,eleemoſynã oblaturo,ſub pœna ſuſpenſionis à Diuinis.

*21.Iun.1625.*

*15.Nou.1605.*

§.2. Vt autem de ſatisfactione onerum liquidò conſtare poſſit,& à Nobis decretum fieri ſuper adimplementis,præcipimus, vt ſingulę Miſſæ,quę ex oneribus beneficiorũ,& legatorũ,proprijs,vel alienis,aut ex eleemoſynis celebrãtur, ꝓprijs manibus eorumdē Celebrantiũ deſcribãtur in libroSacriſtię,ad hoc deputato,qui in hac noſtraCathedrali ſingulis annis renouetur àPro curatoribus R. Capituli, & Cleri, ſumptibus Maſſæ communis.

*CAP.*

Digitized by Google

## CAP. VIII.

1.Cor.9.c.cum ſecundum Apoſtolum de præb.

ET quamquàm Altari deſeruiens de Altari viuere debet, caueant tamen omnes, nè plures pro celebranda Miſſa eleemoſynas accipiant, atq; à cōditionibus, & pactis, quæ à Simoniaca labe, vel à turpi quæſtu nō abſunt, omninò ſe abſtineant. Cœterùm non minus decima ducati parte pro ſtipe cuiuslibet Miſſæ ad ſuſtentādam vitam Sacerdotis detur, nihil tamen ante à Sacerdote exigatur, ſed à ſponte dantibus cum gratiarū actione recipere poterit. Non autem huiuſmodi taxam in Miſſis etiam ex oneribus perpetuis celebrandis obſeruari volumus, ſed circa prædicta Synodalem Conſtitutionem, ab Anteceſſore noſtro f.r. Epiſcopo de Rota editā, diùque obſeruatam in ſuo robore permanere cupientes, nè cum tot alijs, quotannis per eundē editis, ſanctionibus hæc parua cuiuſdam Synodi reliquia de anno 1623. pari fortnna pereat, de verbo ad verbum hìc ſubnectere, opere pretium duximus, quam etiam alibi declarabimus.

Contra tit. 17. c. c. 5 §. 2.

*Conſtitutio Synodalis quondam Illuſtriſsimi Domini Epiſcopi de Rota.*

Trid. ſeſſ. 25. c. 4. de reform.

NE piæ Teſtantium voluntates ob multitudinem Miſſarum, quæ ab ipſis cum tàm paruo mercedis præmio legantur, omninò pereant. Cum difficilè reperiatur, qui ſe velit huiuſ-

modi

modi operi ſubijcere,id circo ſancimus,vt nullum Collegium Clericorum, Eccleſia, ſeù Locus perpetuò celebrandam Miſſam ſemel in hebdomada recipiat,niſi ſaltem octo nũmi aurei certi redditus annuatim pro mercede conſtituantur, & Cappellæ, cæteraque Beneficia Eccleſiaſtica, in poſterũ erigẽda,ſecundũ prędictã mercedẽ erigantur, erecta verò ad huiuſmodi taxã reducantur. Hoc autem fiat,cauſa cognita.

## CAP. IX.

QVemadmodùm apprimè commendamus laudabilẽ conſuetudinem,in hac noſtra Cathedrali Eccleſia iampridem introductam,canendi in ſecundis Ferijs non impeditis Miſſam pro Defunctis,& in Sabbato de B.Virgine,ità pariter continuationem hortamur moris, à Nobis inducti,celebrandi quotannis Miſſam in Anniuerſario Epiſcopi prædefuncti,nec non Miſſam Anniuerſarij Conſecrationis, ſiuè electionis,& translationis Epiſcopi viuentis,vt in Miſſali,cum vnica Oratione; quod ſi tali die cadat Feſtum, fiat cõmemoratio inMiſſa de Feſto, prout in Cæremoniale Epiſcoporum continetur. In die verò depoſitionis Epiſcopi proprij, vel Comprouincialis ſeruentur ea, quæ inferiùs præſcribentur, cùm de funere Epiſcopi verba faciemus.

*Conc.Nic.c.65.*

*p.1.c.35.*

*tit.vlt.c.1.& 2.*

p. y: 198, et 199.

TIT.

## TIT. XIII.
### De Sacramento Pœnitentiæ.

### CAP. I.

Trid. ſeſ. 14. c. 2

POEnitentiæ Sacramemtum tàm neceſſitate medij, quàm præcepti ita neceſſarium eſt lapſis poſt Baptiſmum in re, vel in voto, ſicut eſt nōdū Regeneratis ipſe Baptiſmus, ideoque ſecundam poſt ſecundum naufragium tabulam, & laborioſum quemdam Baptiſmum, aptè Sancti Patres Pœnitentiam nuncuparunt; ſiquidem quèmadmodùm Baptiſmus peccata omnia, ac præſertim quod origine contractum fuit, delet, eadem ratione Pœnitentia peccata omnia poſt Baptiſmum voluntate, vel actione ſuſcepta, tollit. Nullum eſt enim tàm graue, & nefarium ſcelus, quod huiuſmodi Sacramento, non quidē ſemel, ſed iterùm, atq; iterùm non deleatur. Quapropter de ipſo eo accuratiùs, quàm de Baptiſmo agendum erit, quòd iſte ſemel tantùm adminiſtratur, nec iterari poteſt, illi verò toties locus datur, eiuſq; repetēdi toties neceſſitas impoſita eſt, quoties poſt Baptiſmum peccare contingit. Euchariſtiæ quoque, cœteriſque Sacramentis tempore præcedere debet, nè multiformi gratię, in illis contentæ, obex apponatur.

Idem ſeſſ. 6. c. 14. de Iuſtificat.

Cath. Rom. eod. tit.

CAP.

## CAP. II.

QVamuis autem, vt hinc exordiamur, vnũquemque poſt peccati vúlnus acceptum ad hanc ſalutarem Pœnitentiæ medicinã properare deceret, tamen Lateranenſis Concilij decreto ſub Innocentio III. ſtatutũ eſt, vt omnis vtriuſque ſexus Fidelis, poſtquam ad annos diſcretionis peruenerit, ſua peccata ſaltem ſemel in anno confiteatur, & ad minùs in Paſchate Euchariſtiæ Sacramentum ſuſcipiat ſub pœna interdicti ab ingreſſu Eccleſiæ, & priuationis Eccleſiaſticæ ſepulturæ, prout ſupra de Euchariſtia diximus. *c. omnis vtriuſq. ſexus de pœnit. & remiſs.* *tit. 11. c. 4. §. 1.*

§. 1. Sed quoniam non fuit determinata ætas huiuſmodi obligationis, Doctores de ea variè ſentierunt, alij ſeptennium, alij decimumquartũ annum obligatorium conſtituentes. Cum autem in multis malitia ſuppleat ætatem, ac plures etiã ſeptẽnio minores peccata diſcernere poſſint, eiſque imputentur; Monemus Parochum, vt pueros, iam doli capaces, huic præcepto obtemperare curet, non tamen niſi in decimo quarto anno conſtitutos cenſuras ob non paritionem incurrere, declaramus; mandantes, vt huiuſmodi decretum, tàm ab eodem Parocho, quàm à Concionatoribus quotannis in Dominicis Quadrageſimæ publicetur, & intimetur *cap. 1. de delict. puer. vid. S. Gregor. libr. 4. dialog. c. 18.*



Digitized by Google

## CAP. III.

c. etſi cum ſeqq. de conſecr. diſt. 2.

COEterùm idem Parochus, Confeſſarijs, & Concionatores piam illam conſuetudinē ſæpiùs peccata confitendi, Sacrumque Chriſti Corpus aſſumendi, præſertim in ſolemnioribus Feſtiuitatibus, omni ſtudio, conatuq; reuocare laborent. Doceantque, non ſolùm ad hoc ſalutare præſidium ijs confugiendum eſſe, qui aliquo graui morbo laborant, ſed & alijs, qui conſueuere frequenter, & periculosè ægrotare, nec non à quibus iter aliquod periculoſum, ſeù non tuta nauigatio ſuſcipienda eſt; mulieribus quoque prægnantibus, cum ad nonum menſem peruenerint, vt aliàs præmonuimus, cœteriſque omnib⁹, quando intemperies aèris crebris, & grauibus infirmitatibus homines infeſtat; quod vt faciliùs habeatur, enarrarent vtilitates frequentis Confeſſionis, & quàm magna ſit iactura Regni Cœleſtis, quàm peccatores patientur, niſi per pœnitentiam conuertantur ad Dominum: ſcriptum eſt enim, impietas impij non nocebit ei, in quacūque die conuerſus fuerit ab impietate ſua.

ſup. tit. 9. c. 5. pag. 58.

Ezech. c. 33.

§. 1. Inſuper moneant populum, vt ad tantum Sacramentum, quo Nobis Paradiſi ianua aperitur, quiſque cum debita præparatione accedat in humilitate cordis, & amaritudine animæ ſuæ, & ipſemet proprio ore peccata ſua denudet, non expectata Confeſſarij interrogatione. Sin verò Sacerdos, in aliquo perſpexerit deficere pœniten-

nitentem, ab eo monendo, exhortando interrogandoque illum præcipimus adiuuari, habita ratione ſtatus pœnitentis, nè interrogationes admiſceat importunas; quocirca prudenter, ac modeſtè ſe gerere debẽt Cõfeſſarij, maximè cùm Virginum, vel Puerorum Confeſſiones excipiũt. *vid. Graſſ. deciſ. aur. par. 1. lib. 1. c. 35.*

§. 2. Cumque ſoleant quædam mulieres pluſquam par eſt, in Confeſſionalibus cum Confeſſarijs immorari, ac pluſquam ſemel in die idem repetere, nec inde diſcedere ante Solis Occaſum, non ſine magno tùm prudentium, tùm puſillorũ hominum offendiculo; Idcirco Confeſſarij ſtatim, atq; pœnitentes fœminæ ſua recenſere peccata finem fecerint, facta abſolutione, eas dimittant, nec aliud ibi audiant ad Confeſſionem impertinens; quòd ſi illæ abire noluerint, ipſi diſcedant.

## CAP. IV.

SImili quoque modo ad vſum reuocari mandamus eiuſdem Innocentij III. & Pij V. Cõſtitutiones, quibus Medicis præceptum eſt, vt ad ægrotos adducti, antequam eorum curam ſuſcipiant, eos moneant, vt idoneo Confeſſario ſua peccata confiteantur, alioquin poſt ſecundam viſitationem ad eorum curationem non accedãt, ſub pœnis, in eis contentis, & ſignanter interdicti ab ingreſſu Eccleſię, perpetuę infamiæ, & priuationis gradus Doctoratus. Quandoquidẽ valdè *in Conc. Later. Incip ſupra gregem dominium.*

præpoſterum eſt, neglecta nobilioris, ac ſemper duraturæ animæ cura, curando momentaneo pulueri tantoperè inſiſtere; quòd ſi infirmitas ſit leuis, & citra omne mortis periculum, poterunt tolerari.

§. 1. Si quis autem ægrotans Hæbreum, aut Infidelem aliquem, Artis Medicæ fortè peritum, ad ſe curandum admiſerit, Sacramenta Eccleſiaſtica illi nullatenus miniſtrentur, & ſic decedens, Chriſtiana careat ſepultura, alijſque pœnis plectatur in Conſtitutione Gregorij XIII. inflictis, & comminatis.

*Incip. aliàs pia memoria.*

§. 2. Nullum præterea iuſtitiæ gladio periturũ Seculares Iudices ad patibulũ duci permittant, ni priùs de idoneo Confeſſario ſit illi conſultum, nè ſimul cum corpore Spiritus periclitetur; neq; Euchariſtiæ Sacramentum mortis ſupplicio dãnatis eſt ſubtrahendum, ſi oſtenderint euidentia pœnitentiæ ſigna. Vtque hæc commodè fieri poſſint, triduo ante Reo ſententia notificetur, & Parochus aduocetur; Parochus verò Nobis referat, vt quæ in Illuſtriſſima Alborum ſodalitate, qua Neapolitana Ciuitas decoratur, à tot, tantiſque viris didicimus, omni virtutum genere præditis, hìc exercere valeamus.

*Vid. Ricc. var. reſol. 145.*

## CAP. V.

Cvm autem Animarum cura antecellere debeat corporalem, noſque tàm diligenti

ti

Digitized by Google

ti examine approbari videmus Medicos,qui curandis corporibus ſunt præficiendi, quanta maiori agendum eſt diligentia cũ Confeſſarijs, antequam ad Confeſſiones audiendas admittãtur? nempè vt ſapienter dignoſcãt, qualiter peccatorum fœtores tergant,& ægras mentes ſaluti reſtituant. Monemus itaq; quotquot ad hoc miniſterium cooptari cupiunt,ſeſe diutiùs exercere in ſtudio Moralis Theologiæ,& Caſuum conſcientiæ,vt dùm examini ſubijciuntur, adæquatè valeant reſpondere. Erit autem examen non tantùm de eorum doctrina,ſed etiam de vita, & moribus,nè dùm cæcus cæcum ducit, ambo in foueam cadant.

*S.Greg.rlib.4.c.5.in 1.Reg.c.10*

*Luc.6.Matt.15.*

§.1. Si quis verò ſe vltrò intulerit, ac intruſerit non approbatus,etiam ſi Regularis ſit, prȩter nullitatem abſolutionis,pœnas iuxta Sacros Canones,Sacrum Tridentinum Concilium, & Vrb. VIII. Conſtitutionem,ac arbitrio noſtro pendet. Qui autem fuerint approbati,intra fines approbationis, & iuriſdictionis ſibi conceſſæ ſe contineant, prout in litteris patentalibus deſuper expeditis.

*cl.dudum. § ac deinde de ſepult. Seſſ.23.c.15.de reform. Incip. cum ſicut.*

## *CAP. VI.*

Confeſſarij ſcriptos habeant penès ſe Caſus,Apoſtolicæ Sedi,& Nobis reſeruatos, nè vel negligentia,vel ignorantia eam ſibi facultatem arrogent, quam exercere nõ poſſunt,aliàs nulla eſſet abſolutio,& ipſi Abſoluentes, etiam

Regu-

Regulares, in excommunicationem inciderent, prout de mandato Clem. VIII. & Vrb. VIII. Sacra Congregatio Epiſcoporum, & Regularium declarauit. Cum autem ex Summi Romani Pontificis benignitate Iubileum aliquod fuerit publicatum, diplomatis ſeriem ſecum habeant, vt quod illis tàm circa caſuum, & cenſurarum abſolutionem, quàm circa votorum commutationem cõceſſum, quiduè denegatum ſit, intelligant. Præterea frequenter legant, & obſeruent Bullam Gregorij XV. contra Confeſſarios editam, qui pœnitentes ad inhoneſta ſollicitare præſumerint. Canones item pœnitentiales probè teneant, vt illos & ſapienter diſcutere, & prudenter iuxta peccati, & contritionis qualitatem nouerint moderari, nè Peccantes nimia acerbitate deſperent, vel nimia facilitate ad peccandum alliciant. Sitque pœnitentia conueniens non ſolùm peccatorum purgatiua, ſed etiam à futuris præſeruatiua: nam Claues Sacerdotũ non ad abſoluendũ tantùm, ſed ad ligandum quoque conceſſas, credendum eſt. Et vt contraria contrarijs curentur, ſeruetur Tridentini decretum, itaut lubricis continentia, tenacibus largitas, elatis humilitas imponarur, & ſic de ſingulis.

*9. Ian. 1601. & 7. Nou. 1628.*

*Incip. Vniuerſi.*

*Trid. Seſſ. 14. c. 8. c. Deus de pœnit. & remiſſ.*

*Loc. cit.*

§. 1. Neque ſint valdè faciles imponere manus ſuper publicos Peccatores, occaſiones proximas ſubmouere recuſantes, nè in peccatis ſordeſcãt; eorum enim Confeſſiones iuxta Sacros Canones

nes tantùm audiri poſſunt, ſed abſolutio eſt denegãda. Sin ſecus, præter inualiditatem actus, etiam ipſi Abſoluentes peccatorum participes efficerentur. Quòd ſi quis publicè crimen commiſerit cum ſcandalo multorum, nobis à Parocho denuntietur, vt vel publicam pœnitentiam iniungere, vel ſi ità viſum fuerit, in aliam ſecretã commutari poſſimus. Quemadmodum autem Confeſſarij, etiam Regulares, publicam pœnitẽtiam imponere non poſſunt, ità nec publicam in priuatam, Nobis inconſultis, valeant cõmutare.

c. quod quidã de pœnit. & remiſs.

c. accedentibus de exceſſ. Prel.

## CAP. VII.

CAueant etiã Confeſſarij, nè ante debitã, vel famæ, vel pecuniæ reſtitutionem, vbi reſtituendi facultas fuerit, alicui beneficium abſolutionis impendant, præcipuè vbi pœnitens datum in ſuperiori cõfeſſione de ſatisfactione præceptum neglexerit.

§. 1. Cœterùm nè quis iuxta Apoſtolum nos vituperet in hac plenitudine gratiæ, quæ miniſtratur à nobis, præcipimus, vt nullus ex Confeſſarijs, vt ſuprà approbatis, petat, aut exigat à pœnitentibus pecuniam, aut aliud temporale lucrum, ſiuè ob pœnitentiam pro peccatis perferendam, ſiuè quòd res ſit reſtitutioni obligata, ſiuè pro votorum commutatione, vel celebratione Miſſarum, nec omninò quidquam quouis quæſito colore, ſub pœna ſuſpenſionis eo ipſo ab audien-

1. Cor. 8.

audiendis Confeſſionibus, alijſque arbitrarijs. Sed ſi quid penès illos reponatur, protinùs veris dominis conſignent; ſi verò ſit pro malè ablatis incertis, Nobis inconſultis, minimè diſpenſent, ad Nos enim eorum pertinet diſpenſatio. Hinc legimus, virum illum magnum Xauerium, pecuniam, neque reſtitutionis, neque eleemoſynæ titulo pauperibus diſtribuendam, accipi voluiſſe à Confeſſarijs.

*Vid. Graff. deciſ. aur. p. 1. lib. 1. c. 31. n. 29.*

*c. cum ſit de Iudæis*

*Turſel in Vit. Xau. lib. 6. c. 17.*

## CAP. VIII.

POEnitentiæ Sacramentũ Sacerdotes, ſuperpelliceis induti, & Stola ſuperpoſita, in Cõfeſſionalibus ſedentes adminiſtrent. Nec abſque cauſa neceſſaria, à Nobis approbanda, in priuati cuiuſuis ædibus, ſiuè maris, ſiuè fœminæ Confeſſiones audiãt; nec mulieres ante Solis ortum, vel poſt occaſum ob eã cauſam in Eccleſijs maneãt, niſi iuſta de cauſa ſecus Nobis viſum fuerit; nũquam autem niſi per Cratem ad Confeſſionem admittantur, etiam reconciliationis gratia. Sintque ipſa Cõfeſſionalia ad hoc munus ſatis accomodata, atque in patenti, & aperto loco ſita, non in obſcuro, & tenebroſo. Pœnitens verò dùm cõfitetur, genua flectat, Confeſſarius ſedeat; quod etiã in Sacerdotũ reconciliationibus obſeruetur.

§. 1. Sin autem intra domeſticos parietes ob infirmitatis, vel aliam legitimam cauſam mulierum Confeſſio erit audienda, locus remotior eligatur, itaut non audiri, ſed tamen videri poſſint: ſi

Digitized by Google

ſi verò Regularis fuerit Confeſſarius, ſocium etiam habeat in eodem cubiculo, ſin minus ab audiendis Confeſſionibus ſit ipſo facto ſuſpenſus. Poſtquam verò Infirmi Confeſſionem audierint, de hoc fidem penès ipſum relinquant, vel ſtatim Parocho denuntient, vt eius notitiam habeat, & Euchariſtiæ deferat Sacramentum.

§.2. Si Infirmus quidquam pro exoneratione conſcientiæ, vel ad pias cauſas relinquere velit, aut beneficium, vel legatum pium fundare, Notariũ, & Teſtes accerſiri curet Sacerdos; quòd ſi tempus nõ patiatur, coram ſe, & tribus Teſtibus voluntatem Infirmi declarari, & in ſcriptis redigi curet; ſi autem Parochus ſit, duo Teſtes ſufficient. Et tàm Confeſſarius, quàm Notarius, & Teſtes Nos, vel Vicarium noſtrum de qualibet pia diſpoſitione ſtatim certiores faciant ſub pœna excommunicationis. Neque demùm electionis ſepulturæ, per Infirmum faciendæ, obliuiſcãtur, alioquin ad Nos pertinebit electio, prout ſuo loco dicetur.

*c. cum eſſes, & c. relatum, de teſtam.*

*tit. 20. c. 3. §. 1.* pag: 196.

## CAP. IX.

NVllus Sacerdos quacumque ex cauſa verbo, vel ſigno quouis modo audeat directè, vel indirectè Confeſſionem reuelare, ſed illã ſub ſigillo teneat, perpetuum ſilẽtium cuſtodiat, perindèque ac ſi nihil audiuiſſet, obmuteſcat. Si quiſpiam de hoc atrociſſimo delicto conuictus fuerit, præter excommunicationem, alias quoq;

*c. omnis utriuſq; ſexus. de pœnit. & remiſs.*

M cor-

corporales pœnas ſubibit; nam abſque vlla miſericordia verbaliter degradabitur, & triremib⁹ perpetuò inſeruiendum tradetur. Si tamen indigebit conſilio peritiorum, illud ſine expreſſione perſonæ cautè requirere poterit, vt nec etiam ob aliquam rei circumſtantiam perſonæ propalentur; Idemque obſeruabit, cùm pro facultate abſoluendi à caſibus reſeruatis, Superiorem adire cogitur. Quapropter, relicto pœnitente in Confeſſionali, Superiorem, vel peritiorem non petat, nè populus pœnitentem reſeruata habere dignoſcat.

*c. dilectus de exceſſib. Pral.*

## CAP. X.

CVm ad Paſtoralem ſollicitudinem nimis pertinere iudicetur, vt Grex, ſibi cõmiſſus, Dei timore nutriatur, huius (iuxta S. Concilij Tridentini decreta) quædam crimina ab Epiſcopis tantummodò abſoluantur. Ideò Nos id attendere cupientes, prout in Domino expedire cenſuimus, infraſcriptas hìc excommunicationes, ac caſus reſeruare decreuimus, à quorum abſolutione, extra mortis articulum, Nullus ſiuè Secularium, ſiuè Regularium Confeſſariorum abſoluere audeat, niſi noſtram facultatem, ſeù licentiam expreſsè obtineat.

*Seſſ. 14. c. 7.*

*c. fælici de pœn. in 6. c. Paſtoralis, de offic. ord. cl. cupientes, de pœnit. c. inter cũctas, §. duos ex, de pœnis.*

*Caſus Reſeruati, quibus etiam annexa eſt excommunicatio ipſo facto incurrenda.*

*vid ſu. tit. 6 c. 1.*

1 OMnes vtriuſq; ſexus perſonæ, quæ per ſe, vel per alium de Sanctiſſimo Altaris

ris

Digitized by Google

ris Sacramēto,Chriſmate,Oleo Sancto,ſiuè quacumque re conſecrata ad diuinationes, veneficia,ſortilegia, ſiuè ad alios illicitos vſus quouis modo abutantur,aut qui alicui daret,ſiuè reciperet de Sanctiſſimo Sacramento, aut Sacramentalibus prædictis ob fines prædictos,quamuis abuſus huiuſmodi re ipſa ſequi haud contigerit.

2 Omnes vtriuſq; ſexus perſonæ, quæ Dęmoni obſequium promittunt,ſacrificia,ſiuè thùs offerunt ad quæcumque illicita,etiam abſque errore intellectus,nec non quæ per ſe, vel ad alterius inſtantiam condunt, ſiuè condi faciunt imaginem,annulum, aut quodcumque artificiatum, vt in eo Dæmonem conſtringant. *Ibid.*

3 Item omnes,qui ad inueniendum theſaurum circulum,characterem, aut ſuffumigationē faciunt.Inſuper & omnes,qui veneficiū, necromantiam,ſacrilegium,diuinationem, aut quamlibet faſcinationem cum expreſſa Dæmonis inuocatione,prætextu captandæ dilectionis, aut odij inferēdi,ſiuè ad aliud maleficium, vel faſcinationem deſtruendam pateant, vel ligaturam ad amorem excitandum,vel à naturali coitu impediendum faciant. *Ibid.* *Ibid.* *in tit. 23. cap 9. §. 1.*

4 Quicumq;præſumet accedere ad Monaſteriū Monialiū,& cū Monialibus, vel aliqua ipſarū colloquatur, etiā ſi ſit Nouitia, vel Ancilla, aut cum Puellis, quæ educationis cauſa ibi commorantur,ſine noſtra expreſſa licentia. Declа- *in tit. 22. c. 6.*

clarantes, quod qui facultatem obtinuerint colloquendi cum aliqua prædictarum, non poſſunt eadem vti, vt cum alia colloquãtur. Illi verò, qui (quod Deus auertat) ſub prætextu licentiæ obtẽtæ præſumerent, cum aliqua prædictarum de rebus obſcænis, aut actibus impudicis pertractare, vel litteras de rebus obſcænis, ſiuè internuntium trãſmittere, non obſtante licentia, excommunicationem incurrunt. Et ſimiliter tàm viri, quàm mulieres, tàm intrà, quàm extrà Clauſuram Monaſterij exiſtentes, qui ſcienter litteras, vel nuntium de rebus prædictis deferunt.

Sup tit. 7 c. 2.

5 Item omnes, qui falsò in Iudicio malitiosè depoſuerint contra innocentem, vel ad fauorem nocentis tacuerint veritatem in cauſa Criminali, vel Ciuili ad dãnum alterius, ſeù Reipublicę, vel vt falsò deponatur, ſcientèr effecerint, nec non Actuarij, ſiuè ſub Actuarij, Notarij, Scribæ, qui cùm alterius partis offenſione, vel cum Reipublicæ detrimento, cuius præmagni intereſt, nè delicta impunita ſint, dolosè, vel diminutã capiũt informationem, nequè omnium Teſtium dicta ſcribunt.

6 Itidem quomodolibet damnificantes bona menſæ Epiſcopalis, aut decimas, & quindecimam defraudantes, vel non reſtituentes, bona quælibet mobilia, & immobilia cuiuſcumque valoris menſæ prædictæ, ſeù Palatij Epiſcopalis, vel ipſius Cappellæ tẽpore vacationis ſedis,

vel

vel alio tempore aliquo modo occupata infra octo dies à ſcientia iſtius reſeruationis.

7 Homicidium voluntarium committẽtes, aut abortum procurantes, etiam effectu non ſecuto, vel auxilium, ſiuè conſilium dantes.

8 Blaſphemantes Deum, aut Beatam Virginem coram pluribus perſonis ſupra quatuor. *ſup.tit.7.c.1.*

### *Caſus Reſeruati, quibus non eſt annexa excommunicatio.*

1 BLaſphemantes Deum, & Beatam Virginem, vel etiam Sanctos Dei coram minori numero perſonarum quàm quatuor. *Ibid.*

2 Peccatum Sodomiæ exercentes, vel cum Brutis coeuntes.

3 Inceſtuoſi tàm in primo, vel ſecundo gradu conſanguinitatis, aut affinitatis, quàm in cognatione ſpirituali; ita vt Maſculi tantum in hoc, & præcedentibus peccatis carnis comprehendantur.

4 Medici accedentes ad viſitandos Infirmos, in lecto iacentes, poſt tres dies à prima viſitatione, qui certò ſcire non curauerint, quòd dicti Infirmi idoneo Confeſſori peccata ſua cõfeſſi fuerint. *ſup.tit.13.c.4.*

5 Qui ſponſalia contraxerint, & antequam coram Parocho, & Teſtibus matrimonium inter eos celebratum ſit, ſe carnaliter cognouerint. *in tit.23. cap.5. §.1.*

6 Concubinarij non abſoluantur, niſi ſe ſe *in tit.23. cap.8.*

con-

continuerint per menſes ſaltem duos, facta reali ſeparatione non modo thori, ſed etiam habitationis loci. Publici verò nullo modo extrà mortis articulum, Nobis inconſultis.

ſup. tit. 1. c. 4. §. 1. 2. & 3. 7 Neſcientibus proferre Symbolum Fidei, decem Præcepta Decalogi, ſeptem Sacramenta Eccleſiæ, ac ſeptem Peccata Mortalia, abſolutionis beneficium nō impendatur, niſi ſeruatis ijs, quæ aliàs ſeruari mandauimus.

*APPENDIX.*

§. 1. Declaramus, quòd omnes Cōfeſſarios, etiam Regulares, atque Curatos tādiù intendimus approbare, atque ad Confeſſiones Sacramētaliter audiēdas delegare, donec hoc ſcelus perpetrare non auſerint, nempè ad turpia, ſeù obſcæna ſpirituales filias, ſiuè quaſcumque ſibi cōfitentes perſonas, licèt non immediatè poſt Cōfeſſionem, inducere, vel ſollicitare habeant, itaut ipſa ſollicitatio ſit eis perpetua iuriſdictionis ſpiritualis terminatio, quoad eaſdem filias ſpirituales, aliaſque perſonas ſibi confitentes ſollicitatas tantùm.

§. 2. Pueros, & Puellas ante annum duodecimum cōpletum hiſce noſtris caſibus (excepto vltimo) & cenſuris, non intendimus includere.

§. 3. Confeſſarij, qui à Nobis facultatem abſoluendi pœnitentes à Caſibus, ſeù Cenſuris ſupradictis impetrauerint, nullo modo poſſint abſoluere à Caſibus, & Cenſuris contra infra-

ſcriptos

Digitized by Google

ſcriptos,niſi detecto nobis ſcelere,aut per ipſum pœnitentem,aut per eum, qui abſoluendi facultatem petierit, videlicet Cōtra colloquentes cū degentibus intrà Clauſtra Monaſterij de rebus obſcænis; Contra Confeſſarios ſollicitantes ad res laſciuas; Cōtra damnificantes, vel non reſtituentes menſæ Epiſcopali; Cōtra non ſoluentes redditus, ſiuè cenſus Eccleſiaſticis perſonis, & locis pijs.

§.4. Quo circa monentur etiam Confeſſarij quicumque, vt debitorum pœnitentium, qui pro reſtitutione facienda cadere tenentur à decētia ſtatus, ſeque in alimentis magnopere reſtringere, diuino iure coguntur, impotentiæ ad ſoluendum excuſationes expendant, neque illas facilè admittere velint.

§.5. Illos præterea Confeſſarij neque valeant abſoluere, niſi re patefacta, qui ſibi vota cōmutari, ſeù diſpenſari, quique Inceſtuoſi ad petendum debitū coniugale ſe habilitari petierint. Inſuper eos, qui quauis cēſura, Nobis à Iure, vel ab homine reſeruata, fuerint irretiti.

§.6. Nouerint etiam Confeſſarij, omneſq; alij ſimplices Sacerdotes, quòd ſi quis in articulo mortis confiteatur peccata cum annexione cenſuræ reſeruatæ, etiam Summo Pontifici, poterit à quolibet eorum abſolui cum præcepto, vt ſi conualuerit, Superiorem adire teneatur, cui reſeruata erat cenſura, non ad obtinendam abſo-

lutio-

Digitized by Google

lutionem à Cenſura reſeruata, quia in illo articulo ceſſat omnis reſeruatio, nec regreditur; ſed vt ſe coram illo præſentet, & abſolutionem obtentam manifeſtando, ab eo mandata recipiat; quod ſi ille facere neglexerit, in eamdem reincidet Cenſuram.

§. 7. Quoniam in Viſitatione perſonali reperimus, nonnullos Præsbyteros, noſtræ Iuriſdictioni ſubiectos, Abſolutionis formam prorſus ignorare, plurimoſque diuerſimodè proferre, itaut pauci illam, quæ in Rituali Romano præſcribitur, memoria teneant; libuit, hic eam ſubnectere, mandantes, vt ab omnibus memoriæ mandetur infra duos menſes ſub pœna ſuſpenſionis à Diuinis, vſque dùm benè, explicitè, & cum effectu recitare didicerint. Sacerdos igitur, expleta pœnitentis confeſſione, debitis circumſtantijs ſeruatis, impoſita ei, & ab eodem acceptata pœnitentia ſalutari, cùm abſoluere voluerit, dicat:

*tit. de Sacram. P8nit. fol. 46.*

## FORMA ABSOLVTIONIS.

*Miſereatur tui omnipotens Deus, & dimiſsis peccatis tuis, perducat te ad vitam æternam. Amen.*

Deinde dextera, ſuper Pœnitentem eleuata.

*Indulgentiam, abſolutionem, & remiſsionem omnium peccatorum tuorum tribuat tibi omnipotens, & miſericors Dominus. Amen.*

*Dominus noſter Ieſus Chriſtus te abſoluat, & ego auctoritate ipſius te abſoluo ab omni vinculo excommunica-*

*municationis,ſuſpenſionis,& interdicti, quantùm poſſum,& tu indiges.Ego te abſoluo à peccatis tuis in nomine Patris,* † *& Filij,& Spiritus Sancti.Amen.*

*Paſsio Domini noſtri Ieſu Chriſti,merita B.Mariæ Virginis,& omnium Sanctorum,& quicquid boni feceris,& mali ſubſtinueris ſint tibi in remiſsionem peccatorum,augmentum gratiæ, & præmium vitæ æternæ. Amen.*

Si Pœnitens ſit Laicus,omittitur illa vox, ſuſpenſionis. Si verò aliqua cenſura erit irretitus, & Confeſſarius abſolutionis beneficium impendere poterit,priuſquam à peccatis abſoluat,Cēſuræ abſolutionem præmittat,exprimendo cauſam. Et quamuis certa de Cenſuris nō habeatur abſolutionis forma,dicere poterit: Abſoluo te à vinculo excommunicationis,quam incurriſti ob talem,vel talem cauſam.Deinde:Ego te abſoluo à peccatis tuis, &c. Idemque obſeruabit in ſuſpenſione,& Interdicto, prout latiùs in eodem Rituali Romano continetur. In Confeſſionibus frequentioribus, & breuioribus, præſertim Sacerdotum,ſatis erit dicere: *Dominus Noſter Ieſus Chriſtus,&c.*vſque ad illud, *Paſsio Domini noſtri, &c.*Vrgente aliqua graui neceſſitate, vt in periculo mortis,omiſſis omnibus,dicere poterit:

*Ego te abſoluo ab omnibus Cenſuris,& peccatis in nomine Patris,* † *& Filij,& Spiritus Sācti.Amē.*

Si contingat,Sacerdoti aduocari ad aliquem repentinæ morti proximum, qui non valeat, niſi

per ſigna indicare peccata,vel actum Contritionis,illum abſoluere poterit.Sin autem neque per ſigna poſſit confiteri, nec dare inditium contritionis,ſed aliquis teſtificetur, illum antea dediſſe ſigna contritionis, & petijſſe confeſſionem, poterit etiam abſoluere, quia illa contritio à S.T.C. appellatur quaſi materia. Si verò nihil præceſſerit,& ille ſit prorſus ſenſibus deſtitutus, ſed tamen viuus, tunc ſi fuit bonæ vitæ, & ſolitus confiteri debitis temporibus, poterit abſolui ſub conditione,ſaltem tacita, ſi eſt capax, &c. Quòd ſi demũ dubitetur,an ſit viuus.abſoluatur ſub conditione, ſi viuus,ego te abſoluo à cenſuris,& peccatis,&c.

*Seſſ.14.cap.3.*

*Forma Abſolutionis plenariæ,præuia Confeſſione in vita,& in mortis articulo.*

Poſt verba cõmunis abſolutionis dicat Sacerdos:

Item Apoſtolica authoritate,tibi conceſſa, & mihi in hac parte commiſſa,abſoluo te ab omni Excommunicationis ſententia,quauis occaſione lata à iure,vel ab homine,& ab omnibus peccatis,delictis,& exceſſibus,quantumcumque enormibus,hactenus per te commiſſis, & à Cenſuris quomodolibet incurſis, & à Caſibus Sedi Apoſtolicæ reſeruatis,in quantum mihi facultas cõceditur.Et iterum remitto per plenariam Indulgentiam omnem pœnam,in Purgatorio tibi debitam pro præmiſſis,ac reſtituo te illi innocen-

tię,

Digitized by Google

tiæ,& puritati,quam in Baptiſmo accepiſti,ita quod decedenti tibi ab hoc ſæculo clauſæ ſint portæ Inferni , & apertæ Ianuæ Paradiſi. Et ſi hac vice non moriaris,ſalua ſit tibi nihilominus iſta gratia , quando aliàs fueris in articulo mortis. In nomine † Patris, & Filij, † & Spritus Sancti. † Amen.

§.8. Tandem nouerint Confeſſarij, quibus alijs perſonis in pœnam transgreſſionis præſentium Synodalium Conſtitutionum erit deneganda,vel retardanda abſolutio;quare huius Synodi volumen ,poſtquam typis mandatum fuerit, omninò habere procurent. Habeant etiam Bullam Cœnæ Domini , vt in illa præcipitur , nec non Bullam Gregor.XV.contra ſollicitantes in Confeſſionibus,quæ vnicuique ipſorum in ipſo actu approbationis ad Confeſſiones notificanda eſt,atque legenda, quamque Nos hìc ſubnectere non prætermiſimus ; & ſuper eadem Conſtitutione adſunt nonnullæ litteræ declaratoriæ Illuſtriſſimi Domini Cardin.Millini,omninò legendæ,& obſeruandæ.

*Bull.Cœn.§.*

*Incip. Vniuerſi.*

*in Syn.Caſtr. c.10.*

## CONSTITVTIO CONTRA SOLLICITANTES in Confeſsionibus.

# GREGORIVS PP. XV.

## Ad perpetuam rei memoriam.

*VNiuerſi Dominici gregis curam, quamquam immeriti, cæleſti diſpoſitione gerentes, ſedulò inuigilare tenemur, vt ab omnibus prauis contagijs cõſeruetur immunis, multoque maiori ſtudio prouidere, vt omnis peſtis ab ijs auertatur, quibus alios ſanandi officium eſt commiſſum: nè quod Euangelica ſcriptura nos admonent, ſale infatuato, non ſit, in quo ſaliatur, & ad nihilum proſit vltra, niſi vt mittatur foras, & conculcetur ab hominibus. Quoniam autem à Romanis Pontificibus Prædeceſſoribus noſtris quibuſdam in locis prouiſum fuit, vt impium, ac nefandum ſcelus, quod non ſolùm inter Chriſti Fideles non eſſe, ſed nec etiam nominari debet, procul ab ijs arceatur, videlicet, vt aliquis Sacerdos, ad Sacras audiendas Confeſſiones deputatus, Sacroſancto Pænitentiæ Sacramento, ſollicitando pænitentes ad turpia, abutatur, ac pro medicina venenum, pro pane aſpidem porrigat, & ex cæleſti Medico infernalis veneficus, ex Patre Spirituali proditor execrabilis animarum reddatur. Idcirco nos ea, quæ ijs pernicioſiſsimis diaboli inſidijs arcendis certis locis ſalubriter conſtituta ſunt, vt nullibi deſiderentur, quantùm ex alto conceditur, prouidendum duximus. Aliàs ſiquidẽ à fæl. rec. Pio PP. IV. prædeceſſore noſtro emanarunt litteræ tenoris ſubſequentis, videli-*

deli-

delicet. Pius PP. IV. Venerabili Fratri Archiepiſcopo Hiſpalen. in Regnis Hiſpaniarum Hæreticæ prauitatis Inquiſitori Generali. Cum ſicut nuper, non ſine animi noſtri moleſtia, accepimus, diuerſi Sacerdotes in Regnis Hiſpaniarum, atque etiam in eorum Ciuitatibus, & Diœceſibus curam animarum habentes, ſiuè eam pro alijs exercentes, aut aliàs audiendis Confeſſionibus Pœnitentium deputati in tantam proruperint iniquitatem, vt Sacramento Pœnitentiæ, in actu audiendi Confeſſiones, abutantur, nec illi, & qui id inſtituit, Domino Deo, & Saluatori noſtro Ieſu Chriſto iniuriam facere vereantur; mulieres, videlicet, pœnitentes ad actus inhoneſtos, dùm earum audiunt Confeſſiones, alliciendo, & prouocando, ſeù allicere, & prouocare tentando, & procurando; ac loco earum per Sacramentum huiuſmodi Creatori noſtro reconciliationis, grauiori peccatorum mole eas onerando, & in manibus diaboli tradendo in Diuinæ Maieſtatis offenſam, & animarum perniciem, Chriſti Fidelium ſcandalum non modicum. Nos in animum inducere nequeuntes, quòd qui de Fide Catholica rectè ſentiunt, Sacramentis, in Eccleſia Dei inſtitutis, abutantur, aut illis iniuriam faciant, Fraternitati tuæ, de cuius eximia pietate, virtute, atque doctrina plurimùm in Domino confidimus, per præſentes committimus, & mandamus, quatenus per te, vel per alium, ſeù alios à te deputandum, ſeù deputandos contra omnes, & ſingulos Sacerdotes dictorum Regnorum, ac illarum Ciuitatum, & Diœceſū de præmiſsis quomodolibet diffamatos, tàm Seculares,

quàm

quàm quorumuis etiam exemptorum, ac Sedi Apoſtolicæ immediatè ſubiectorum Ordinum Regulares, cuiuſcumque dignitatis, ſtatus, gradus, ordinis, conditionis, & præeminentiæ exiſtant, tàm ſuper præmiſſis, quàm ſuper Fide Catholica, & quid de ea ſentiant, diligenter inquiras; & iuxta facultatum, tibi cōtra Hæreticos, aut de hæreſi quouis modo ſuſpectos à Sede Apoſtolica conceſſarum continentiam, & tenorem procedas; ac culpabiles repertos iuxta exceſſuum ſuorū qualitates; prout iuris fuerit punias eas, etiam ſi, & prout de iure fuerit faciendum, debita præcedente degradatione, Secularis Iudicis arbitrio puniendos tradendo. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac Eccleſiarum, & Monaſteriorum, nec non Ordinum quorumlibet, quorum ipſi Sacerdotes fuerint, etiam iuramēto, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, priuilegijs quoque, indultis, & litteris Apoſtolicis ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, ac cum quibuſuis clauſulis, & decretis, etiam motu proprio, aut aliàs quomodolibet conceſſis, etiam iteratis vicibus approbatis, & innouatis; quibus omnibus eorum tenores præſentibus pro expreſſis habentes, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè Derogamus, cæteriſque contrarijs quibuſcumque. Dat. Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris die 16. Aprilis 1561. Pontificatus noſtri anno ſecūdo. Igitur, vt litteræ prædictæ perpetuis futuris temporibus, & vbique locorum inuiolabiliter obſeruētur, Motu proprio, & ex certa ſcientia, ac matura deliberatione

ne noſtra, ac de conſilio Venerabilium Fratrum noſtrorũ S.R.E.Cardinalium contra Hæreticam Prauitatem Generalium Inquiſitorũ præinſertas litteras huiuſmodi, ac omnia, & ſingula in eis contenta, Apóſtolica authoritate tenore præſentium approbamus, & confirmamus, illiſque omnibus, & ſingulis inuiolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adÿcimus, illaſque non ſolum in prædictis Regnis Hiſpaniarum, ſed in quibuſuis Chriſtiani Orbis partibus firmiter, vt inuiolabiliter obſeruari præcipimus, & mandamus. Ac præterea nè in futurum de pœna, his delinquentibus imponẽda, & de modo contra eoſdem procedendi ab aliquo dubitari poſſit, ſtatuimus, decernimus, & declaramus, quòd omnes, & ſinguli Sacerdotes, tàm ſeculares, quã quorumuis, etiam quomodolibet exemptorum, ac Sedi Apoſtolicæ immediatè ſubiectorũ Ordinum, Inſtitutorum, Societatum, & Congregationum Regulares, cuiuſcumque dignitatis, & præeminẽtiæ, aut quouis priuilegio muniti exiſtant, qui perſonas, quæcumque illæ ſint, ad inhoneſta, ſiue inter ſe, ſiue cum alÿs quomodolibet perpetranda, in actu Sacramentalis Confeſſionis, ſiue ante, vel poſt immediatè; ſeu occaſione, vel prætextu Confeſſionis huiuſmodi, etiam ipſa Confeſſione non ſecuta, ſiuè extra occaſionem Confeſſionis in Confeſſionario, aut in loco quocumque vbi confeſſiones Sacramentales audiantur, ſeu ad Confeſſionem audiendam electo, ſimulantes ibidem Confeſſiones audire, ſollicitare, vel prouocare tentauerint; aut cum eis illicitos, & inhoneſtos ſermones, ſiuè tractatus habuerint,



Digitized by Google

in Officio Sanctæ Inquiſitionis ſeueriſsimè, vt infra, puniantur. Et præterea omnes Hæreticæ prauitatis Inquiſitores, & locorum Ordinarios omnium Regnorum, Prouinciarum, Ciuitatum, dominiorum, & locorum vniuerſi orbis Chriſtiani, in ſuis quemque Diœceſibus, & territorijs, per has noſtras litteras, etiam priuatiuè quoad omnes alios, ſpecialiter, ac perpetuò Iudices delegamus, vt ſuper his contra prædictos ſimul, vel ſeparatim in omnibus, prout in cauſis fidei, iuxta Sacrorũ Canonum formam, nec non Officij Inquiſitionis huiuſmodi Conſtitutiones, priuilegia, conſuetudines, & decreta diligenter inquirant, & procedant, & quos in aliquo ex huiuſmodi nefarijs exceſsibus culpabiles repererint, in eos pro criminum qualitate, & circumſtãtijs, ſuſpenſionis ab executione ordinis, priuationis beneficiorum, dignitatum, & officiorum quorumcumque, ac perpetuæ inhabilitatis ad illa, nec non vocis actiuæ, & paſsiuæ, ſi Regulares fuerint, exilij, damnationis ad triremes, & carceres, etiam in perpetuum abſq; vlla ſpe gratiæ, aliaſque pœnas decernant: eos quoque ſi pro delicti enormitate grauiores pœnas meruerunt, debita præcedente degradatione, Curiæ Seculari puniẽdos tradant. Dantes etiam Venerabilibus Fratribus S.R.E. Cardinalibus Generalibus Inquiſitoribus, nẽ delictum tam enorme, & Eccleſiæ Dei tam perinicioſũ, remaneat ob probationum defectum impunitum (cum difficilis ſit probationis) teſtibus etiam ſingularibus cõcurrentibus præſumptionibus, indicijs, & alijs adminiculis, delictum probatum eſſe arbitrio ſuo iudicandi, &

Curiæ

*Curiæ Seculari, vt præfertur, reum tradendum eſſe pronuntiandi. Non obſtantibus omnibus, quæ dictus Prædeceſſor in ſuis litteris prædictis voluit non obſtare, cæteriſque contrarijs quibuſcumq;. Mandantes omnibus Confeſſarijs, vt ſuos pœnitentes, quos nouerint fuiſſe ab alijs vt ſupra ſollicitatos, moneant de obligatione denuntiandi ſollicitantes, ſeù, vt præfertur, tractãtes, Inquiſitoribus, ſeù locorum Ordinarijs prædictis; quòd ſi hoc officium prætermiſerint, vel pœnitentes docuerint non teneri ad denuntiandum Confeſſarios ſollicitantes, ſeù tractantes vt ſupra, ijdem locorum Ordinarij, & Inquiſitores illos pro modo culpæ punire non negligant. Volumus autem, vt præſentium traſumptis etiam impreſsis, manu alicuius Notarij Publici ſubſcriptis, & ſigillo alicuius perſonæ, in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ, munitis, eadem prorſus Fides in iudicio, & extra, vbique habeatur, quæ præſentibus haberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ, quodque eædem præſentes litteræ, ſeù illarum exempla ad valuas Baſilicarum S. Ioannis Lateranen. ac Principis Apoſtolorum de Vrbe, & in acie Campi Floræ affixæ omnes ita arctent, & afficiant, ac ſi vnicuique perſonaliter intimatæ fuiſſent. Dat. Romæ apud S. Mariam Maiorem ſub Annulo Piſcatoris die 30. Auguſti 1622. Pontificatus noſtri anno ſecundo.*

S. Cardinalis S. Suſanæ.

O *TIT.*

## TIT. XIV.
### De Sacramento Extremæ Vnctionis.

### CAP. I.

RENati Fōte Baptiſmatis, Chriſmate corroborati, Euchariſtia aucti, Pœnitentia ab animæ morbo curati, attamen in diſcri-
*c. nulli dubium* mine vitæ poſiti, Sacri Olei Extrema Vnctione
*3.q.1.* indigēt armari. Nam etſi humani generis hoſtis per omnem vitam occaſionē quærat, & captet, vt
*1. Petr. 5.* deuorare animas noſtras quoquomodo poſſit, ve-
*Gen. 3.* hementiùs tamen calcaneo noſtro, hoc eſt in vitæ exitu inſidiatur. Quare pijſſimus Redemptor noſter, qui ſeruis ſuis quouis tempore voluit aduerſus omnia inimici tela Salutaribus remedijs
*Matt. 6.* opitulari, Sacramentum hoc Vnctionis Infirmo-
*Iacob. 5.* rū inſtituit, quod Iacobus Apoſtolus, ac Domi-
*c. Præsb. 45. diſt.* ni Frater fidelibus commendauit, ac promulga-
*c. 1. §. 1. de Sacr. vnct.* uit, dicens: Infirmatur quis in vobis? Inducat Præsbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, vngētes eum Oleo in nomine Domini, & Oratio Fidei ſaluabit Infirmum, & alleuiabit eum Dominus, & ſi in peccatis ſit, dimittentur ei. Quibus
*Trid. Seſſ. 14. c.* quidem verbis docuit materiam, formam, Mi-
*1. 2. & 3. de Sacra. Extr. Vnct.* niſtrum, & effectus huius ſalutaris Sacramenti, prout etiam ex Apoſtolica traditione, per manus accepta, didicit Sancta Mater Eccleſia.

§. 1. Miniſtretur autem ſemper à Parocho, eiuſuè Subſtituto, vel ipſis impeditis, ab alio Sacer-



Digitized by Google

cerdote,obtentá licẽtia, nullo verò pacto à Clericis,quamuis in Sacris ; hoc enim attentantes, etiam in caſu neceſſitatis,irregularitatem incurrent.Regulares quoque curam animarum non habentes, & ſine noſtra licentia vngere præſumentes perſona's Seculares, vel etiam Eccleſiaſticas non Regulares,vel ſaltem de actuali familia illiusMonaſterij,excommunicationem incurrent ipſo facto,per Sedem Apoſtolicam dumtaxat abſoluendi. *cl. 1. de priuil.*

§.2. Inuigilet ergo Parochus, vt Ægroto,dũ integris eſt ſenſibus, & mentis compos,Extrema Vnctio miniſtretur,vt maiori deuotione, & vberiori fructu recipiatur:morbi enim incõmoda,ac labores leuiùs feret Infirmus,tentationibus Dæmonis faciliùs reſiſtet,& ſanitatẽ corporis interdùm,vbi animæ expedierit,conſequetur. Hi nãque ſunt iſtiuſmodi Sacramenti peculiares effectus,quos & Apoſtolus ſupra recenſuit. *S.Th.3.p.q.30. art.2.*

## *C A P. II.*

VV autem Sacramentum hoc neq;ſanis corporis,neq;leuiter infirmis ſine vitæ periculo,ſaltem opinabili,miniſtrandũ eſt,neq;periculoſam nauigationẽ , vel non tutum iter aggreſſuris,nec paulò poſt præliũ,etiã iuſtum, cõmiſuris, nec capite damnatis , nec mulieribus mox parituris, nec infantibus nondum rationis vſu præditis,nec deniq; amẽtibus,& furioſis nõ habentibus lucida interualla,niſi ante repentinã *Vide Barb de offic. Par.p.2.c. 22.à n.11.* *Vid. Ricc. 2 ar. reſ.455.*

amentiam fuerint bonæ vitæ,& ad mortem infirmẽntur: Ità neque ſenibus negandum eſt,& ſi nõ infirmẽtur,ſenio tamen deficiant,neque ijs, quibus,mortifero vulnere accepto, mortis imminet periculũ,ſiuè ex ſuperueniente febre,ſiuè ex vulnere tantùm è vita decedãt; nequè Apopleticis, vel alio lethali morbo correptis,etſi nec peccata confiteri , nec Euchariſtiam ſumere potuerint, modò tamen oſtenderint ſigna contritionis , vel ſi ſenſibus careant,bonæ vitæ fuerint, debitiſque temporibus Eccleſiæ Sacramenta frequentare conſueuerint.

## CAP. III.

CVret etiam Parochus, vt Sacrum Oleum,ad Infirmos deferendum,ſit eo anno à Nobis benedictum,vel ab alio Epiſcopo, Nobis abſentibus,nec veteri vtatur poſt Feriam V. in Cœna Domini,niſi in caſu neceſſitatis,ſed in Lampadibus ante Sãctiſſimum comburatur. Vaſcula verò, in quibus Sacra Olea cònſeruantur, munda ſint, & argentea, vel ſaltem ſtannea, pannoque lineo, & candido tecta,quæ cuſtodiantur ab eodem Parocho in loco decẽti,tuto,& clauſo, in quo temeraria manus extendi non poſſit ad perpetranda facinora. Aſportetur ad Infirmos olei vaſculum intus burſam,é ſerico confectam violacei coloris de collo pendentem,nè pateat,& à rudibus adoretur; ſitq: Parochus Superpellicio, & Stola violacea indutus,qui vno ſaltem Clerico,cocta pariter

Rit. Rom. eod. tit.

ter

ter induto, pręeunte,& Crucem ſine haſta, lumē in laterna, aſpergillum cũ Aqua luſtrali, & Rituale Romanum præferente, incedat. Cum verò ad Ægrotum venerit, eum diligēter conſoletur, horteturque, vt bono animo eſſe velit, & à curis, & deſiderijs præſentis vitæ ad ſpem ſalutis æternæ erigat; Diabolum, & eius verſutias alto animo contemnere, Chriſtique miſericordiam ſperare, doceat. Exhortetur etiam Aſſiſtentes, & Comitātes, vt dum hoc Sacramentum miniſtratur, pro Infirmo Deum deprecentur. *ö.quæſiuit de verb.ſign.*

§.1. Si autem Infirmum mox periturum repererit, omiſſis orationibus præambulis, ab vnctione incipiat; quod ſi de ipſius vita etiam dubitet, vngat ſub conditione, ſi viuis, per iſtam Sanctam Vnctionem, &c. vt in Rituali Romano. Quòties verò Parocho Infirmus, ita morti proximus denuntiatur, vt dubium ſit, an poſt ſumptum Viaticum concedatur tempus redeundi, vnà cum Euchariſtia Sacrum quoq; Oleum deferre poterit, pro quo miniſtrando quauis diei, noctiſq; hora, ipſe, & Subſtitutus paratos ſe ſemper exhibeant, aliàs ſeuerè puniētur. Nec tamen in eadem infirmitate Sacramentum reiterare præſumant, niſi ægrotus conualeſcens, videatur omninò à periculo euaſiſſe, & deindè iterùm relabatur. *Rit.Rom.ibid.* *Ibid.*

§.2. Cœterum inungat partes quinq; Sēſuum, & etiam renes Maſculi; quòd ſi partes vngendæ ſint detruncatæ, ſeù debilitatæ, ſenſu carentes, *Vid.Dian.p.5. tract.6.reſol.11.*

tunc

tunc vngantur loca corporis proximiora; nam Muti, Surdi, & Cæci à natiuitate nõ ſunt hoc Sacramento priuandi, atque adeò debent inungi propè organa ſenſuum, quibus carent: etſi enim exteriùs nõ peccauerint, potuerunt tamẽ peccare per interiores potentias, quibus illa reſpõdẽt.

§.3. Cum autem deſignatam quamlibet ægrotantis partem inungit, iam nouo ſemper goxipij globulo detergat, & globulos viciſſim in vaſe mũdo reponat, vt ſtatim ac ad Eccleſiã remigrauerit, illos comburat, & cineres in Sacrario proijciat. Ac demùm infirmum in mortis agone ſolum non derelinquat, ſed adſit aſſiduè ægrotanti, ſiuè per ſe, ſiuè per alios Sacerdotes Coadiutores, illumque ſalutaribus monitis, ac verbis, conſolatione plenis, adiuuare laboret, prout in Viſitationibus fuit illi præceptum. *eod. tit.*

§.4. Et quamuis iuxta Sacrorum Canonum diſpoſitionem interdicti tempore nulli Laico, vel etiam Clerico, aut Religioſo, ſi ſufficienti priuilegio muniti non ſint, Sacramẽtum hoc miniſtrari poſſit, tamen quando Infirmus nullum aliud poteſt recipere Sacramentum, huiuſmodi Extrema Vnctione priuari nõ debet, iuxta communẽ, vſuque receptam Doctorum ſententiam.

*c. quod in te, de pœnit. & remiſs.*

*Vid. Suar. to. 4. diſp. 44. ſect. 4. n. 7.*



Digitized by Google

## *TIT. XV.*

### *De Sacramento Ordinis.*

### *CAP. I.*

QVoniam parùm nobis prodeſſet Sacramẽtorum inſtitutio, niſi idem Chriſtus Dominus idoneos Miniſtros, nempè Sacerdotes ad illa conficienda, miniſtrandaque conſtituiſſet; idcirco adeò in Eccleſia Dei Sacramentũ Ordinis eſt neceſſarium, quo, vno excepto Baptiſmo, nullum magis, cum ab eo omnia alia Sacramenta dependeant. Cùm autem diuina res ſit tàm ſancti Sacerdotij miniſterium, conſentaneũ fuit, quò digniùs, & maiori cũ veneratione exerceri poſſet, vt in Eccleſiæ ordinatiſſima diſpoſitione plures, & diuerſi eſſent Ordines, & Miniſtri, qui Sacerdotio ex officio deſeruirent, ex quibus Militantis Eccleſiæ Hierarchia conſtare dignoſcitur.

*Cath. Rom. eod. tit. in princ.*

*Trid. ſeſſ. 23. c. 2.*

*Ibid. can. 6 de Sacr Ord.*

§. 1. Quia verò eius adminiſtratio ad Epiſcopum pertinet, Nobis enixè ſtudendum erit, vt in hac noſtra Eccleſia dignos, & idoneos Sacerdotes, alioſque Miniſtros, quoad fieri poſſit, promoueamus, ſiquidem ignorare non debemus, quanta Eccleſiæ Dei mala ex hac peſte proueniant, vbi Miniſtrorum deeſt aut doctrinæ ſoliditas, aut vitæ ſanctitas. Sacerdos, inquit Aggeus, eſt Angelus teſtamenti, & populus ex ore eius legẽ exquiret; & Dominus in Oſea, quia ſcientiam repuli-

*Ibid cap. 3. c. manus de conſecr. diſt. 5.*

*c. cum in cunctis de elect. c. ſuper ſpecula, de Magiſt.*

*cap. 2.*

*cap. 4.*

pulisti, ego te repellam, nè Sacerdotio fungaris mihi. Vitæ quoque ſanctitatem eis idem Dominus proteſtatur, inquiens: Sãcti eſtote, quoniam ego Sanctus ſum Dominus Deus veſter; quin etiã omnis deformitas, etiam extrinſeca in cultu, & habitu corporis abeſſe debet à Miniſtris Altaris, quod & in veteri lege præceptum erat. Quo circa Sacrorum Canonum, & Tridentini Concilij decretis, Apoſtolicisque Conſtitutionib' innixi, ſequentia obſeruanda ſtatuimus.

*Leuit. 11. Iſai. 2*

*Leuit. 21.*

## CAP. II.

PRima Tonſura non initientur, qui vel poſt Baptiſmum, Confirmationis Sacramentum non ſuſceperunt, vel Fidei rudimenta ignorant, vel legere, & ſcribere neſciũt, vel demùm de quibus probabilis coniectura non eſt, eos non ſecularis iudicij fugiendi fraude, vel Reipublicę onera vitando, hoc vitæ genus elegiſſe. Minores Ordines ijs, qui ſaltem Latinam linguam intelligãt, conferantur, quoſq; ſcientiæ ſpes maioribus Ordinibus dignos oſtendat, & bonum à Parocho, & Magiſtro teſtimonium vitæ, & probitatis ſuæ habeant. Subdiaconi, & Diaconi non ſolùm Grãmaticam teneant, & quæ legerint intelligãt, ſed etiam Sacris Litteris, & ijs, quæ ad Ordinẽ exercendum pertinent, ſint inſtructi, eamque, ſaltem Diaconi, de Symbolo Fidei, præceptis Decalogi, & Eccleſiæ Sacramentis doctrinam habeant, vt

*Trid. d. Seſſ. 23. c. 4. c. 1. & 3. de Presbyt. non Bapt.*

*Ibid. c. 11.*

*Ibid. c. 12. & 13*

*c. illitteratos 36. diſt.*

vt de ſingulis interrogati rectè, & ſine errore valeant reſpondere. Ad Præsbyteratum verò nemo aſſumatur, niſi, diligenti examine præcedente, ad populum docendum ea, quæ ſcire omnib⁹ neceſſarium eſt ad ſalutem, ac ad adminiſtranda Sacraměta idoneus comprobetur; alioquin meritò exclamabit Hieronymus: Ecce totus mũdus plenus eſt Sacerdotibus, ſed tamen in meſſe rarus reperitur operator; & Dominus in Oſea: miſericordiam volui, & non ſacrificium, & Sciẽtiam Dei, pluſquam holocauſta.

*Trid. d. c. 12. & 14.*

*Homil. 15.*

*cap. 6.*

## *CAP. III.*

NEque tamen qui huiuſmodi ſciẽtia, & eruditione præſtant, ſine delectu ad Ordines ſunt admittẽdi, ſed ij tantũ, qui cũ ſcientia prudẽtiã quoq; quæ aliarum virtutum decus eſt, coniunctam habent. Vnde Apoſtolus: ſi prudentiam non habueris, in tenebris, & extra viam curres; & Pſalmiſta: Gens ſine conſilio eſt, & abſq; prudentia. Verùm quia nec ſcientia, nec prudentia ſine longa rerum experientia acquiritur, ætas quoque in promouendis erit neceſſaria, quæ à Sacris Canonibus, & ab eodem Tridentino ſtatuta fuit. Igitur Prima Tonſura Initiandi ad minus ſeptẽnium completum habeant, tunc enim tantùm ſcientiæ, & prudentiæ habere poſſunt, quantùm ſufficit ad nudum illum actum ſuſceptionis Ordinis, qui nec officij, nec miniſterij eſt.

*36. diſt. in ſum. c. ex ratione, & c. indecorum de æt. & qual.*

*Epheſ. 5.*

*Pſal. 29.*

*Vid. Menoch. de arb. Iud. lib. 2. cent. 5. caſ. 427.*

*c. fin de tem. ord. in 6. Clem. fin. vbi gl. de æt. & qual.*

P Ad

Digitized by Google

AdMinores verò prouehendi duodecimum, vel
c. in ſingulis 77. diſt. decimum tertium, Subdiaconi vigeſimũ ſecũdũ,
Diaconi vigeſimum tertium, Præsbyteri deniq;
Trid. d. c. 12. vigeſimum quintum annum agant.

§. 1. Eadem quoque ratione neque omnes Ordines vno, eodemque tempore alicui conferendi ſunt, ſed per temporum interſtitia, vt vocant: & quamuis ex decreto Concilij aliqua diſpenſandi potestas Epiſcopo ordinãti tributa videatur, tamen cum promouendis à poſtremo gradu Minorum ad Subdiaconatus Ordinem, & à Subdiaconatu ad Diaconatum ſuper anni curriculo diſpẽſare non poterit, niſi Eccleſiæ neceſſitas, vel vtilitas illud expoſcat; à Diaconatu verò ad Præsbyteratum, niſi vtilitas, & neceſſitas ſimul eiuſdem Eccleſiæ concurrant. Neque tamen annus interſtitiorum mathematicè duodecim Menſium cõpletorum erit intelligendus, ſed quatuor Ordinationum, vt eiuſdem Concilij Congregatio declarauit.

d. c. 11. d. c. in ſingulis, & c. quicũque 77. diſt.

5. Maij 1593.

## CAP. IV.

QVicumque vel origine, vel beneficio, vel quouis alio legitimo titulo noſter Diœceſanus extiterit, & pro recipiendis Ordinibꝰ ſtatutis à iure tẽporibus Nos adire decreuerit, per dies aliquot antequã ad examẽ ſe cõferat, noſtro Generali Vicario teſtimonum in ſcriptis exhibeat, tàm de natalibus, & ætate, quã de vita, & moribus, publicis denuntiationibus, aliiſ-

aliјſque requiſitis ad præſcriptum Concilij Tridentini,& decreti S.* Congr. Cardinalium ſuper negotijs Iuriſdict. Regni Neap. Præpoſitorum, & Conſtitutionis Pij II. ab Vrb. VIII. innouatę. Quòd ſi alterius Diœceſis fuerit ordinandus, dimiſſionales litteras, à ſuo Ordinario expeditas, omni prorſus vitio carentes oſtendere debebit. Ordinati autem ab alieno Epiſcopo cum Noſtris dimiſſorijs infra decem dies poſt promotionem curent ſuas Bullas regiſtrandas in regeſtu noſtræ Cancellariæ ſub pœna librarum xxx. ceræ albæ laboratæ. Regiſtrẽtur autem gratis à noſtris Cãcellarijs, ſicut & dimiſſoriæ à Nobis concedendæ, & Bullæ omnium Ordinum collatorum.

*10. Kal. Iulij 1623.*

*Incip cũ ex Sacrorum innouata 2. Dec. 1624.*

* Haec Congregatio laudat in Synodis [illegible]: an: 1635. pag 253 = [illegible] an: 1647. pag: 82. et [illegible]: an: 1658. pag: 17.

§. 1. Qui verò ad Subdiaconatus Ordinẽ promoueri deſiderat, nè cogatur cum Ordinis dedecore mendicare, aut ſordidum aliquem quæſtum exercere, doceat etiam per publica documenta, ſe habere ſufficiẽs beneficium, aut patrimonium proprium, vel ſibi donatum, & per duos ſaltem Teſtes iuratos cõſtare faciat, ſe illud realiter pacificè, & liberè poſſidere, ſibique ad victum honeſtè ſufficere: Ideoq; annui valoris ducatorum ad minus triginta explicitorum monetæ de Regno eſſe debeat, à fertili ad infertile, deductis oneribus, & expenſis.

*Trid. ſeſſ. 21. c. 2 de ref.*

§. 2. Quo circa ad euitandas omnes fraudes, & colluſiones, quæ interuenire poſſent in aſſignatione, vel donatione Patrimonij, inhærentes Cõ-



Digitized by Google

ſtitutioni Vrb.PP.VIII.pręcipimus,& mãdamus, vt nemo audeat ad Sacros Ordines ſuſcipiendos accedere cum titulo falſi,aut ficti , vel fiduciarij patrimonij ſub pœna ſuſpenſionis eo ipſo ab exercitio ſuſcepti Ordinis vltra pœnam falſi; Parentibus verò,Cõſanguineis, Affinibus, alijſque quibuſcumque tales fictas donationes facere, ſub pœna excommunicationis ipſo facto incurrenda,prohibemus.Et ad maiorem cautelam, ac fraudes huiuſmodi detegendas, præcipimus etiam Parocho,vt inter Miſſarum ſolemnia trib⁹ diebus Feſtiuis populo denuntiet, quòd talis ad Subdiaconatum intendit promoueri ad titulum patrimonij, ſiuè donationis,aſſerẽdo, ſe poſſidere talia bona,vel cenſus annui valoris ad minus triginta explicitorum,vt ſupra: Ideoque ſi quis ſuper prædictis aliquid ſciuerit in contrarium, illum reuelet ſub pœna excommunicationis. De quibus denũtiationibus idem Parochus teſtetur in ſcriptis,aliàs Ordinandus non admittatur.

*Incip. Secretis 11. Dec. 1626.*

§.3.Ordinati verò ad titulum beneficij,vel patrimonij,neque beneficium reſignare , neq; patrimonium alienare præſumant,nec poſſint, abſque Noſtra licentia, quando nouum beneficium Eccleſiaſticum ſufficiens ſint adepti,vel aliunde habeant,vndè commodè viuere valeant , aliàs iuxta Sacros Canones punientur, prout idẽ Trident.Conc.& eius Congregatio declarauit.

*Trid. ſeſſ. 21. c. 2 de reform.*

*c. eum ſecundum de præb. 10. Apr. 1598.*

§.4.Neque eſt ambigendum, quòd forma ſtatuta

tuta ab eodem Tridentino in promouendo Clericos Seculares ad Ordines, extendatur etiam ad Regulares non profeſſos, prout Pius V. ſua Conſtitutione decreuit, poſſunt tamen cum dimiſſorijs ſuorũ Regulariũ ordinari, quæ ad Diœceſanũ Epiſcopũ dirigi debẽt, vel ad alios, eo abſẽte, vel Ordinationem non habente, vt S. Congreg. Conc. cenſuit de mandato Sixti V. & Clem. VIII.

*tit. 15. c. 4. §. 4.*

*Incip. Romanus Pontifex.*

*Vid. P. Dian. p. 2. tra. 16. reſ. 15*

## CAP. V.

NVllus denique Ordinandus pro faciliori aſſecutione Ordinis adhibeat deprecatores, vel litteras commendatitias afferat Nobis, vel Noſtris Examinatorib⁹, aliàs per annũ ab Ordinatione arcebitur. Examinatores verò interrogẽt promouendos tã ad Maiores, quã ad Minores Ordines ſup̃ materijs Sacramẽtorũ maximè Ordinis, & Cẽſurarũ Eccleſiæ, qui Latinè interrogati, itidẽ Latinè reſpõdeant, nec nõ linguã Latinã explicẽt nõ ſolũ in Miſſali, ſed etiã in Conc. Trid. & Cathechiſmo Romano. Sacris Ordinibus Initiãdi Breuiariũ habeãt nouę impreſsionis. Subdiaconi, & Diaconi in rubricis Breuiarij, & in recitãdis Horis Cãonicis ſint benè inſtructi, Pręsbyteri etiã in rubricis Miſſalis, quod ſimiliter habeãt, & in Cãtu plano, ſiuè Gregoriano. Exteros verò, qui cũ dimiſſorijs ſuorũ Ordinariorũ accedẽt, teſtificantium de eorũ examine, & approbatione, iterũ examinari facere nõ ꝓhibemur; quòd ſi Regulares fuerint, ad id omninò tenebimur.

*Trid. ſeſſ. 23. c. 7 & 8. de reform.*

*Ibid c. 12.*

TIT.

## TIT. XVI.
## De Beneficijs Eccleſiaſticis.

### CAP. I.

CLericali Militiæ adſcripti, & in ſortem Domini adſciti quemadmodũ Eccleſiæ Dei inſeruire debent, ità & de Eccleſiaſticis prouentibus ſuſtẽtari: Cùm enim prouentus huiuſmodi ex piorum oblationibus compacti pretia ſint peccatorũ, & vota Fidelium; patrimonia pauperum, & Eccleſiæ Miniſtrorum erunt cenſenda; Vt autem dignis, ritèque, rectèque beneficia Eccleſiaſtica conferantur, ſequentes condidimus Conſtitutiones, quas inuiolabiliter obſeruari mandamus.

*c. cum eſſent de Simon ſeſſ. 27. c. 3. de reform.*

§. 1. In primis autẽ Noſmetipſos tales in illis conferẽdis exhibebimus, quales Sacri Canones, & Tridentinum Concilium expoſtulant; nõ priuatæ amicitiæ, non fauoribus, non iniquitati, vel ſanguini ſeruientes, neque familiaribus Noſtris, tanquam ſuæ operæ, & laboris pretium, illa proponentes, ſed pro Dei gloria, & Eccleſiæ eius ſeruitio dignos admittere, indignos excludere, & inter bonos meliores, & inter dignos digniores, tanquã Fideles diſpẽſatores, diſcernere, ſemper in animo retinentes, & operibus combrobãtes.

### CAP. II.

*1. Cor. 4.*

QVia verò Sacerdotalis Ordo confunditur, & populorum ſalus maximè læditur, ſi

ad

ad beneficia Eccleſiaſtica aſſumantur, qui ſuo muneri reſpondere non valeant, eiuſdem Sacroſancti Tridentini Concilij decretum exactiſſimè ſeruetur, vt nullus ad dignitatem, curam animarum habentem, aſſumatur, niſi fuerit idoneus, & quintum, & vigeſimum attigerit annũ; Ad alias verò dignitates, & Perſonatus abſque cura non minor viginti duobus annis; Vtque ad Dignitatem, Canonicatum, vel Perſonatum nemo aſſumatur, niſi eo ſit Sacro Ordine initiatus, quem dignitas, vel præbenda poſtulat, vel ad eam peruenerit ætatem, vt infra legitimum tẽpus valeat initiari. Cœtera denique beneficia ſimplicia, etiã de iure patronatus, nulli conferãtur, qui decimũ quartũ nondũ agat annũ, ni tamen aliter in fundatione ſit diſpoſitum.

*c. cum in cunctis de elect. Seſſ. 24. c. 12. de reform.*

*Idem ſeſſ. 23. c. 6. de reform.*

## *CAP. III.*

VT omnis auaritiæ, vel Simoniacæ labis ſuſpicio euitetur, caueant omninò tàm præſentandi, quàm præſentantes, nè aliquid pro præſentatione dent, promittant, remittant, offerant, vel recipiant, aut certò ſperent conſequendum; alioquin tám ipſi, quàm eorum internuntij, & mediatores pœnæ excommunicationis, in Simoniacos latæ, atque alijs iuxta Sacros Canones, & arbitrium noſtrum ſubiacebunt. Neque per tales Simoniacos tractatus Beneficia reſignare, neque in confidentiam, vt aiunt, retinere præſumãt

*c. de hoc. cap. ex tuæ, c. nobis de Simon. c. cũ ſuper de confeſ. Conſt. Pauli II, incip. cum deteſtabile de Simo. inter extra. com.*

ſub

Digitized by Google

ſub pœna excommunicationis, alijſque in Conſtitutionibus Pij IV. & V. ſancitis. Qui verò talia ſciuerint, ad Nos deferant ſub eadem pœna excommunicationis.

*Incip. Romanũ Pontif. Incip. In tolerabilis.*

## CAP. IV.

*Trid. ſeſſ. 7. c. 13 de reform.*

PRæcipimus noſtro Vicario Generali, ad hoc ſpeciale mandatum habenti, vt non niſi præuio examine circa ſcientiam, ad quæcumque beneficia præſentatos inſtituat, vel cõfirmet; niſi ſint perſonæ notoriè ſufficientes, ad beneficia non curata. Neque ad ſimplicem inſtantiam Patronorũ, ſe tales aſſerentiũ, illa conferat, niſi priùs ipſi præſentantes de ſuo iure patronatus, & poteſtate præſentandi per documenta, & ſcripturas neceſſarias probauerint, ſeruata forma, à Tridẽtino tradita, ſeruatiſque alijs decretis S. Congregationis deſuper emanatis; ac audito in omnibus Promotore Fiſcali noſtræ Curiæ pro iuribus, ad illam fortè ſpectantibus; maximè ſi de alienatione Iuriſpatronatus, ſiuè translatione tractetur, quocumque titulo facta aſſeratur: nam alienationes huiuſmodi, non legitimè factas, idem Tridentinum prohibet; vel ſi poſt lapſum termini, à iure conceſſi, fiat præſentatio, quia tranſactis quatuor menſibus, ſi patroni ſint Laici, vel ſex, ſi Eccleſiaſtici, à die vacationis, vel notitiæ, ad Nos, & noſtram Curiam pro illa vice collatio deuoluitur, & ſucceſſiuè per decurſum legitimi tẽporis ad Metro-

*Seſſ. 25. c 9. de reform. Congr. Conc. ſup. eod. c 9.*

*Ibid. & c. præterea de iur. pat.*

*c. cam te, & c. cũ propter eod. tit. Vid. Ricc. coll. 488.*

tro-

Digitized by Google

tropolitanum,& ad Sanctiſſimum. Non tamen ipſi Patroni,licèt Eccleſiaſtici, ſe ipſos poterũt *c.licet de ſuppl. negl. Prael.c.2.* præſentare,neque Procuratores, licet cum libe- *de conceſſ. Præb.* ra poteſtate,eoſdem principales. Nos autem ex mera liberalitate abſque præſentatione illos po- *c.per noſtras eo. tit.* terimus inſtituere.

## CAP. V.

NEmo prȩterea,non formato proceſſu, & Bullis expeditis, earumque vigore poſſeſſione legitimè capta,in perceptione fructuum beneficij ſe ingerat,aliàs ex nunc pro tunc illum declaramus intruſum,omnique iure quæſito priuatum,& ad illud beneficium inhabilem, ac ad reſtitutionem fructuum perceptorum condemnamus.Quam pœnam etiam incurrent prouiſi à Sede Apoſtolica, ſi ante expeditionẽ Bullarum, vel ſaltem mandati de poſſeſſione capienda, illã apprehenderint,iuxta Pauli III. Cõſtitutionem: *Incip.cũ Nobis.* Patroni autem adminiſtrationem omnimodam beneficiorum ipſis Beneficiatis relinquant ſub pœna excommunicationis, præter alias,in eodẽ *d.ſeſſ.25.c 9.* Tridentino ſtatutas.

§.1.Ipſi verò Beneficiati ſuo muneri ſatisfaciant,Fidei profeſſionem emittãt, prout in prin- *ſup.tit.1 cap.2. §.1.* cipio ſtatuimus:Horas Canonicas recitent, & in *infr.tit.17.& 18.* Eccleſijs ſibi aſſignatis reſideant,vt inferiùs ſuis locis dicetur.Miſſas iniunctas celebrent, vel celebrare faciant,de quarum ſtipendio, ſiuè eleemoſyna ſupra egimus, & Conſtitutionem Syno- *ſup.tit.12.c.8.*



Digitized by Google

+ vel Acta ſi le ante pag: 78.

dalem Illuſtriſſimi Anteceſſoris noſtri de Rueda circa eius taxam confirmauimus. Quoniam verò in Viſitationibus adinuenimus, multa in hac noſtra Ciuitate extare Beneficia antiqua, quibus in fundatione fuerunt aſſignatæ dotes redditus exigui, non correſpondentis oneri Miſſarum annexo, quod quidem onus in fundatione appoſitum etiam ante Vrb. VIII. decretum, quo Epiſcopis fuit ſublata facultas, ab eiſdem minui nequaquã poterat, prohibente eodem Tridentino Concilio, & nihilominus à Prædeceſſoribus noſtris Miſſæ præfatæ ad minorẽ numerũ fuerũt redactę. Idcirco hac noſtra Synodali Conſtitutione ſtrictè præcipimus, & mandamus Beneficiatis, Rectoribus, ſiuè Cappellanis, tot Miſſas pro adimplẽdis onerib⁹ celebrare, vel celebrare facere, quot ſũt in fundatione, ſeù dotatione appoſitæ, cum in hoc non eis ſuffragentur reductiones prædictæ, quæ ſolùm poſſunt habere locũ in Miſſis legatis, ſiuè relictis poſt fundationem, vbi non eſt pactũ determinatum de numero Miſſarum.

Congr. Conc ſub Vrb. VIII. ſup. c. 4 ſeſſ. 25. de ann. 1625.

d. ſeſſ. 25 c. 5.

## CAP. VI.

PRæterea cum Eccleſiſticus Ordo peruertatur, quãdo vnus plurium officium occupat Clericorum, eiuſdem Tridentini veſtigijs inhærendo mandamus, vt vnus tantummodò beneficium Eccleſiaſticum ſingulis conferatur, quod quidem ſi ad vitam Beneficiati honeſtè ſuſtentandã non ſufficiat, aliud item ſimplex conferri pote-

Seſſ. 24 c. 17. de reform.

Digitized by Google

poterit, dummodò vtrumque perſonalem reſidẽtiam non requirat; tertium verò, etiã ſi duo collata de Iure Patronatus ſint, & inſufficiẽtia, conferri minimè poterit, cũ huiuſmodi beneficiorũ coacervatio ſit omninò prohibita. Ideoque ſtatuimus, vt quicumque Beneficium impetrare deſiderat, de alijs fortè per eum poſſeſſis, etiam in aliena Diœceſi, deque eorum redditibus, & oneribus in ſupplicatione mentionem faciat, aliàs impetratio ſubreptitia cenſebitur, & impetrans pœnis, à iure ſtatutis, alijſque, Noſtro arbitrio reſeruatis, punietur.

*Plures declarationes S. Congr. refert Garz. de Benef. p. 11 c. 5. §. 3. à n. 310.*

*c. execrabilis §. qui verò extr. de preb.*

## CAP. VII.

NEque Beneficiorum quorumcumque reſignationes recipiantur in Noſtra Curia, niſi concurrente aliqua ex cauſis, & conditionibus in Conſtitutione Pij V. expreſſis. Neque reſignata conferantur conſanguineis, affinibus, coniunctis, & familiaribus reſignantium, etiam per circuitum plurium perſonarum, ſicut nec ipſi collatores ſuis conferre poſſunt, ſub pœnis, in eadem Conſtitutione contentis, niſi beneficia ſint de Iure Patronatus, prout Gregorius XIII. Archiepiſcopo Salernitano declarauit. Cœterùm reſignationes quæcumque, etiam ex cauſa permutationis factæ, publicentur intra ſex menſes, iuxta formam alterius Conſtitutionis eiuſdem Gregorij ſub pœnis, in ea contentis.

*Incip quanta Eccleſia.*

*Incip. Humano vix iudicio.*



Digitized by Google

## CAP. VIII.

CVm autem bona Eccleſiaſtica,& Beneficialia ſint à ſuis Miniſtris,& Rectoribus pari pietate,ac diligentia potiùs augenda, & conſeruanda,quàm minuenda,& diſſipanda; ſtatuimus ſub pœnis, & cenſuris,in extrauaganti Pauli II. & in Conſtitutione Vrbani VIII.inflictis, & cōminatis,nè quis ſine magna,& euidenti vtilitate Eccleſiæ,& Apoſtolico aſſenſu quocumque modo bona prædicta alienare præſumat, etiā ſi mobilia ſint,& pretioſa, vel annui redditus, vel iura,& actiones, nam immobilibus æquiparantur, neque etiam addita clauſula,ſaluo aſſenſu impetrando, neque illa hypothecare, locare vltra triennium,in feudum dare,vel in emphiteuſim, niſi ſeruatis ſeruandis in caſibus à iure permiſſis; ſi autem vnus tantū fructus in toto triennio percipiatur,poterit tempus ampliari,vt duo fructus percipiantur;non tamen poſſunt fieri locationes anticipatis ſolutionibus in præiudicium ſucceſſorum,vt Tridentinum ſtatuit.Fructus autem, & res,quæ ſeruando ſeruari non poſſunt, alienari non prohibentur.

*Incip. Ambitioſæ de reb. Eccl. non al. Incip. Humana.*

*l. Sancimus, C. de Sacroſ. Eccl.*

*Seſſ. 25. c. 11. de reform.*

§. 1. Porrò noſtra Curia Epiſcopalis de ſtylo, & ab antiquo tempore præſtat aſſenſum in alienationibus,permutationibus, & ſimilibus contractis in euidentē vtilitatem Eccleſiæ,præcedētibus ſolemnitatibus requiſitis,ſuper rebus proprietatis,non excedentibus valorem ducatorum

quin-

Digitized by Google

quinquaginta monetæ de Regno; qui ſtylus fundatur in diſpoſitione Sacrorũ Canonum, neque à præfata Extrauaganti, neq; à Tridentino reuocata, prout S. Congreg. Concilij, & Epiſcoporum declarauit.

*c. terrulas 12. q. 2.*

*22. Maij 1601.*

§. 2. Obſeruetur pariter eiuſdem Tridentini decretum, quo declarãtur excõmunicati omnes, & ſinguli, qui Eccleſiarum, beneficiorũ, ſeù aliorum piorum locorum iuriſdictiones, bona, cenſus, iura, fructus, obuentiones, & emolumẽta quęcumque, pijs vſibus deſtinata, quouis quęſito colore ſibi vſurpant, & in proprios vſus conuertũt, aut alios, ad quos ſpectant, vi, vel timore incuſſo, illa recipere impediunt, alioue prætextu ſibi vẽdicant; Cuius excommunicationis abſolutio S. Pontifici reſeruatur, etiam poſt debitam ſatisfactionem; & Patroni, ſiuè adminiſtratores talia conſentientes, ſi Eccleſiaſtici ſint, ab exercitio ſuorum Ordinum ſuſpenduntur, & beneficijs priuantur; Laici verò vſurpantes, præter excommunicationem, Iure patronatus priuantur.

*Seſſ. 22. c. 11 de reform.*

§. 3. Denique iuxta eiuſdem Tridẽtini diſpoſitionem non ſunt ferendi, qui varijs artibus decimas, Eccleſijs, & Eccleſiaſticis perſonis obuenientes, ſubtrahere moliuntur, dare nolunt, aut dantes impediunt, ſed excommunicationis gladio feriendi, nec niſi plena reſtitutione ſecuta, abſoluendi.

*Seſſ. 25. c. 12. de reform.*

*Sup tit. 13. cap. vlt. de caſib. reſeruat. 6. & 7.*



Digitized by Google

# TIT. XVII.

## De Reſidentia.

### CAP. I.

c. Nemine 70. diſt.

CVm nullus debeat ordinari, qui iudicio ſui Epiſcopi non ſit vtilis, aut neceſſarius ſuę Eccleſiæ, iure merito à Sacris Canonibus, & Tridentina Synodo ſtatutum eſt, vt non ſolùm Beneficia, curam animarum habentia, aut aliàs perſonalem reſidentiam requirentia obtinentes, in ſuis Eccleſijs reſidere teneātur; verùm etiam vt quicumque ordinatur in ipſa promotione illi Eccleſiæ, aut pio loco, pro cuius neceſſitate, aut vtilitate aſſumitur, adſcribatur, vbi ſuis fungatur muneribus, nec incertis vagetur Sedibus. Omnia igitur, quæ Sacri Canones, & Tridentinum Concilium ſuper Reſidentia ſtatuère, omninò cuſtodiri præcipimus, & pro illorum obſeruantia ſequentes Conſtitutiones ſeruari decreuimus.

c. conquerente, & c. inter quatuor, de Cler. non reſid. Seſſ. 23. cap. 16. de reform.

### CAP. II.

OBtinentes Dignitates, Subdignitates, & Canonicatus in hac noſtra Eccleſia Cathedrali, in ea reſidere, & perſonaliter inſeruire teneantur, nec ab ea vltra tres menſes continuos, vel vtiles quotannis abeſſe poſſint, dummodò abſentia non cadat in Quadrageſima, Aduentu, & maioribus ſolemnitatibus, atque tunc maior pars Canonicorum remaneat in reſidentia, quacum-

Trid. ſeſſ. 24. c. 12. de reform.

Digitized by Google

cumque conſuetudine,& ſtatuto particulari non obſtantibus,alioquin priuatione fructuũ, alijſq; pœnis,iuxta idem Tridentinum Concilium, & Summorum Pontificũ Conſtitutiones,punietur.

§.1. Præsbyteri quoque Capitulares, & Numerarij, atque Portionarij, ſiuè Cappellani,de fructibus,& diſtributionibus quotidianis participantes,ab Eccleſia Cathedrali diſcedere abſq; Noſtra licentia minimè poſſint; tranſgreſſores autem ex nunc fructibus, & obuentionibus eiuſdem Eccleſiæ priuamus, aliaſq; pœnas luent, noſtro arbitrio reſeruatas. Quòd ſi longa fuerit abſentia vltra quatuor menſes,ad ſeruitium eiuſdem Eccleſiæ, ſeù Chori reuerſi non recipiãtur, neque ad participationem prouentuum admittãtur, abſque noſtra ſpeciali licentia. Idemque ſeruetur cum ijs, qui dimiſſorias à Nobis ante diſceſſum obtinuerint cum præfinitione temporis,ſi,termino tranſacto,non fuerint regreſſi, vel nouam licentiam non impetrauerint.

§.2.Neq; Diaconi,Subdiaconi, Clerici,alijq; ſimplices Sacerdotes, ſeruitio eiuſdem Eccleſiæ adſcripti,vel ad eius titulum promoti, Nobis inconſultis,locum deſerere audeant ſub pœna arbitrij.Beneficia verò ſimplicia obtinẽtes,qui de iure cõmuni reſidere quoq;tenebãtur(licèt hodie contraria vigere videatur conſuetudo;)ſi vagentur,ob vagationis delictũ, formato proceſſu,ſeruatiſq;ſeruãdis,beneficijs priuari nõ phibemur.

*vid. Abb. in cap. quia nonnulli n. 6. & 7. de Cler. non reſid. Gloſſ. fin. in c. nõ oportet de conſecr diſt. 5.*

CAP.

Digitized by Google

## CAP. III.

QVia verò præſentia Præsbyteri in Eccleſia non ſolum pro Miſſis, ſed pro alijs etiam fūctionibus neceſſaria dignoſcitur, præcipimus, & mandamus, vt abſentes, etiam de licentia Noſtra, portionem introituum, & prouētuum Eccleſiæ nullo pacto pro rata temporis abſentiæ prætendere poſſint, nec propria authoritate aliū ſufficere ad ſatisfaciendum pro ſe oneribus Miſſarum, ſine noſtra ſpeciali diſpenſatione.

§. 1. Ijs verò, qui ob delictum patratum profugi reperiuntur, vel in exilium miſſi, nulla de communi maſſa introituum Eccleſiæ portio debebitur; neque carceribus mancipatis, quamuis indebitè, donec abſoluti fuerint, & per ſententiam de eorum innocētia conſtiterit, prout Congregatio Concilij declarauit. *15. Octob. 1595*

## CAP. IV.

*Trid. ſeſſ. 23. c. 1 de reform.*

POrrò maioris ponderis obligatio reſidendi Parocho iniuncta videtur, cum animarum curam in actu habeat, Sacramenta miniſtrare, & populum ſibi concreditum doctrina, & exemplo paſcere debeat, ſuſceptoque oneri pro ſua virili ſatisfacere. Idcirco à reſidētia diſcedere illi prohibemus; quòd ſi neceſſitas vrgeat, & legitima ſubſit cauſa, nos conſulat, vt ex eius abſentia nullum Populus detrimentū patiatur. Quin etiam

tàm

tàm Parocho, quàm eius Subſtituto iniungimus, vt non ſolùm propè Eccleſiam Cathedralem habitationem habeat, verùm etiam in ipſa Eccleſia maiorem diei partem ducant, nec per Ciuitatem diuagentur, nè repentino caſu contingente, vocati, non poſſint præſto eſſe ad Sacramenta miniſtranda. Inuigilentque, nè quis eorum negligẽtia Paruulus ſine Baptiſmate, & Adultus ſine Pœnitentia, Viatico, vel Sacra Vnctione decedat, alioquin vltra diuinum iudicium, condignas nobis dabunt pœnas.

*c. quicumque de conſecr. diſt. 4. c. Presbyter. eod. diſt. 2.*

## TIT. XVIII.

### De Diuinis Officijs, & Horis Canonicis, Sacris Ceremonijs, & de Honeſtate, ac reuerentia in Eccleſia ſeruanda.

### CAP. I.

c. fin. 92. diſt.

MInistris, Deo dicatis, Sponſæq; eius Eccleſiæ ſeruitijs adſcriptis, Diuinorum Officiorum munus incumbit: quemadmodùm enim in ſublimi illa triumphanti Eccleſia per Cœleſtes Spiritus decantantur diuinæ laudes ante Sedem Dei, & Agni, ità pariter in hac noſtra terrena militanti congruit, Diuinam Pſalmodiam, ab illa Cœleſti Hymnodia deriuatam, decantari; Vt autem cum illa conueniat magis, magna diligentia curandum eſt, vt per diſtincta interualla cuncta ſemper procedant conſona, nihil ſit diſſonum; maximè cùm experientia compertum ſit, homines ad Eccleſiam allici, Sacro magis Pſallentium concentu, quàm Miniſtrorum officio.

Bull. Vrb. 8. in princ Breuiar.

§. 1. Quapropter hortamur in primis omnes noſtræ Iuriſdictionis Clericos, præſertim Beneficiatos, vt Muſicam, vel ſaltem cantum planum, ſiuè Gregorianum diligenter addiſcant. Curabimus enim, vt qui ad Subdiaconatum promoueri petierint, niſi in cantu etiam inſtructi fuerint, à promotione reijciantur; nec ad participationem quotidianarum diſtributionum in Choro admitten-

in extrauag. de vita, & honeſt. Cler.

c. cum in cunctis, de elect. c. fin. de ætat. & qual.

ten-

tentur, ſiquidem nullus ad Officium admitti debet, cuius partes ſubire nequeat.

## *CAP. II.*

OMnes igitur Choro addicti, ſtatis horis Eccleſiam Cathedralem adeuntes ſuperpellicio, & alijs pro conditione, & officij dignitate indumentis induantur. Deinde è Sacriſtia modeſtè egredientes, poſtquam ad Altare maius flexis genibus pauliſper orauerint, recto tramite Chorum adeant, ibique ſuum quiſque locum teneat, quem mutare non liceat. Vt autem ſingulis detur opportunitas commodè conueniendi, non confeſtim, dato căpanæ ſigno, Officium inchoetur, ſed poſt tertiam partem horæ à primo ſigno dato, vt S. Rituum Congregatio decreuit. Incohet Officium Canonicus Hæbdomadarius, vel alius, qui eius vicem gerit ex ea parte Chori, à qua eſt inchoandum per hæbdomadas, ſed non niſi à Primo Chori dicta oratione, Actiones noſtras. Is verò orationem non incipiat, niſi quatuor ſaltem alij ex vnaquaque parte adſint, qui Officium pſallere, & Miſſam canere poſſint.

*c. ſin. 92. diſt. c. 2. de celeb. Miſſ.*

*3. Sept. 1605.*

## *CAP. III.*

VErùm meminerint Hæbdomadarij, prſertim qui Dignitatibus, & Honoribus anteferuntur, Deo illos placere non poſſe; qui ſolis eum labijs honorant, cor autem ab eo procul habent.

*Iſaiæ 29.*

bent. Quare ſinguli Horas Canonicas qua decet reuerentia, ſtudio, grauitate, attentione, & deuotione recitent ad modum Breuiarij Romani, nouiſſimè reformati, quod ſemper in manibus habeant; pauſaque decenti in medio verſiculo, vbi eſt Aſteriſcus, interiecta, verba integra diſtinctè proferant, non ſyncopizando, vel preuertendo, non ſocios præueniendo, vel immorando, ſed eodem tempore ad ſyllabam, & tono vocis vniſono modulando; nec vnus Chorus verſum incipiat priuſquam alter ſuum compleuerit; Nemini autem liceat tonum attollere, vel deprimere, niſi ſolis Cantoribus, & Hæbdomadario, vel eis, qui eorum locum tenent: dùm verò Lectiones leguntur, cœteri illas in Breuiario ſummiſſa voce percurrant, vel ſaltem attentè auſcultent, aliàs non ſatisfacient, neque diſtributiones lucrabuntur; non enim præſens dicitur, qui non attendit. Nec latere debet, omnes, Choro deputatos, Diuinum Officium canendo, vel ſaltem alta voce recitãdo perſolui, etenim Sacri Canones eos ad pſallendum obligant, qui verò ſummiſſa voce recitat, nullo modo pſallere dicitur: Vnde Pſalmiſta eos admonet, dicens: Benè pſallite ei in vociferatione. Studeant quoque inter canendum, vt non tãtùm modulatione, & voluptatibus aures afficiãt, ſed etiam vtilitatem in Chriſtianorum mentes, & deuotionem infundant; quapropter dùm Diuina Officia celebrantur, nullus cum alio colloquatur,

*c. dolentes de celebr. Miſſ.*

*c. in die de conſecr. diſt. 5.*

*cl. graui de celebr. Miſſ. & al. Diu Offic.*

*l. coram Titio ff. de verb. ſignif.*

*c. fin. 92. diſt.*

*Pſal. 32.*

tur, nullus in Choro priuatim legat aliquid, vel ſeorſum ab alijs recitet; nemo rideat, aut dormiat, aut aliud quidpiam indecorum faciat, nè quæ ad Dei cultum, & Fidelium ędificationem introducta ſunt, in ſcandala conuertantur; aliaq; omnia ſeruentur, quæ Pius PP. V. ſua edita Conſtitutione ſeruanda præcepit.

*Incip. cum primùm Apoſtolatus.*

§. 1. Qua hora diebus feſtis Miſſa ſolemnis decantatur, peculiares Miſſæ non celebrentur, ſed Sacerdotes, & populus in vnum ad publicā Miſſæ celebrationem conueniant.

*c. ad hoc de conſecr. diſt. 1.*

§. 2. Nemo inſuper è Choro, licèt mox rediturus, diſcedat, priuſquā omnia compleantur; quòd ſi adſit rationabilis cauſa, à Chori Præfecto veniam petat. Officio demùm peracto, ſinguli in ſuis locis flexis genibus aliquantiſper orent, atque exhibita eidem Altari Maiori reuerentia, ad Sacriſtiam modeſtè, quietèque redeant, vbi ſuperpellicia deponant.

## *CAP. IV.*

QVoniam verò nonnulli potius formidine pœnæ, quàm deuotionis, & Diuini Cultus amore, in his peccare oderunt; præcipimus, vt à Punctatoribus, non ſolùm ij, qui Horis Canonicis non interfuere, punctentur, ſed etiā qui intereſſentes ſupradicta, & alia requiſita ad benè pſallēdum ſeruare neglexerint; quandoquidem certum eſt, multis modis in mala recitatione

*d. cl. grauis.*

ne

ne Officij peccari, qui à Doctoribus recenſentur: Nemo autem dixerit, quempiam ex ſuo delicto premium lucrari debere, maximè ſi illud aptũ ſit, alios trahere ad peccandum.

*l. itaque, ff. de furt.*

§. 1. Cùm autem permultæ, & quàm ſubtiliter de lucrandis, & amittendis diſtributionibus apud Scribentes excitatæ, & deciſæ videantur quæſtiones, neceſſe erit, Punctatorum electionẽ fieri non in rudes prorſus perſonas, ſed in morali Theologia, & Conſcientiæ Caſibus quantum fieri poterit verſatas, quæ non ignorent, quibus ex cauſis abſentes diſtributiones lucrari, & è cõtrá intereſſentes amittere debeant; quòd ſi neſciant, ſaltem conſulant peritiores.

*Vid. Bonacin. de Hor. Can. diſp. 2. q. 4. & 5. Monet. de diſtribut. p. 2. q. 1. 5. & 6.*

§. 2. Præterea Punctatores initio ſui Officij iusiurandum dent coram Nobis, vel noſtro Vicario, ſe diligẽter, fideliterque omnia præſtaturos, neminem excuſando, vel grauando ſub interminatione Diuini Iudicij. Libros etiam pũctorum cautè cuſtodiant, quos nec ipſi, nec alij quicumque ſub quouis prætextu vitiare, vel immutare præſumant ſub poena ſuſpenſionis à Diuinis ipſo facto incurrenda, vltra poenam falſi. Punctent autem regulariter eos, qui ad Matutinas horas ante finem primi Nocturni, hoc eſt, ante finem tertij Pſalmi, vel ad alias ante finem primi Pſalmi non venerint, vel qui ad Miſſam ante finem Epiſtolæ non acceſſerint. Qui non interſunt Matutino, & Laudibus, punctentur vno puncto; qui

Horis

Digitized by Google

Horis quatuor Canonicis, alio puncto; qui Miſſæ ſolemni, alio puncto; qui Veſperis, & Completorijs, vno puncto, nec in poſterùm fiat punctatio in Veſperis, niſi in fine Completorij. Mulctæ demùm, ſiuè portiones deficientium intereſſentibus accreſcant iuxta conſuetudinem, & iuris diſpoſitionem.

*c. vnic. de Cler. non reſ. Trident. Seſſ. 21. c. 3. & Seſſ. 24. c. 12.*

## CAP. V.

CÆremoniarum Magiſtri ſequentis diei Officium denuntient, doceantque, quando pedibus ſtare, quando ſedere, quando demùm genuflectere opus ſit, ac cæremonias omnes, quę ſigna ſunt pietatis, & Religionis Chriſtianę, à Romana Eccleſia inſtitutas, ſeruarique ſolitas, vt ſanctè, & piè ſunt inuentæ, ita religiosè conſeruari curent: Supeſtitiones verò omnes, ſi quæ in Eccleſia cæremoniarum nomine inoleuerunt, omninò tolli; Nobiſque renuntient, quid circa hoc cognouerint eſſe corrigendum.

## CAP. VI.

PRocul ſint ab Eccleſia, præcipuè quando Diuina peraguntur, ſtrepitus, clamores, negotiationes, colloquia, deambulationes, & quæcumque alia profana, & quæ Diuinum Officium perturbare poſſunt, neque alia committantur, à Sacra Tridentina Synodo, Pij V. Conſtitutione, & S. Congregatione Epiſcoporum prohibita. Nemo Altaribus innitatur, vel fontibus

*Seſſ. 22. de obſeru. & euit. in cel. Miſſ. Inc. cũ primùm. 13. Febr. 1604.*

Aquæ

Aquę Benedictę, neq; Sacrificio terga vertere, aut dũ Miſſæ celebrãtur, vel Sacra cõcio habetur, ante fores Eccleſię, vel in liminibus, ſeù Atrijs extare pręſumat. Neque Infideles, & mãcipia adſint, prout S. Congregatio prohibuit. Neq; Mendici per Eccleſiã quęſtuent, ſed ad Ianuas ipſius eleemoſynã petãt, itaut neq; aditũ impediãt, neq; clamoribus diuina perturbẽt, quod Sacriſtę curare debẽt ſub pœnis in pręcitata Pij V. Cõſtitutione inflictis, & cõminatis. Nemo pręterea Sclopos, Archibuſios, & ſimilia armorũ genera, aut Canes venaticos introducat in Eccleſiã, ſed in ea omnes cũ reuerẽtia, & attẽtione morẽtur, ac detecto capite maneãt, ſaltẽ à prima vſq; ad vltimã Miſſam, & à principio Veſperarũ vſq; ad finẽ Cõpletorij ſub pœna excommunicationis: Etenim Domum Dei, & Orationis, vt decet Sanctitudo, ita dedecet irreuerẽtia; nè vbi venia eſt impetranda, Diuinæ Iuſtitiæ vltio irritetur.

*23. Iul. 1603.* *d. el. graui de celebr. Miſſ.* *Pſal. 92.*

§. 1. Laici quoq; à Sacriſtia, & Choro arceãtur, neq; detur eiſdẽ locus in Pręsbyterio, quãuis Officiales ſint: nã eadẽ S. Congregatio prohibuit.

*c. Sacerdotum de conſecr. diſt. 2* *17. Ian. 1604.*

## CAP. VII.

VT autem ad id redeamus, à quo digreſſi ſumus, Ad recitationem quoq; Diuini Officij non ſolùm tenentur Pręsbyteri, & in Sacris Ordinati, quamuis Chori legibus non ſint obſtricti, verùm etiam Beneficiati, etſi Prima tantùm Clericali Tonſura inſigniti; à tempore quidem

*d. c. dolentes, & Gl. fin. in c. 1. de celeb. Miſſ. cap. fin. 92. diſt. c. quod à te. c. diuerſis de Cler. coniug. & c. fin. de reſcript. in 6.*

adeptæ

Digitized by Google

adeptæ poſſeſſionis beneficiorum, qui ſi per primos ſex mẽſes à recitãdo defecerint, licèt non teneãtur ad reſtitutionẽ, peccant tamẽ mortaliter; poſtmodũ verò prẹter mortalis culpæ reatũ, perceptos ex beneficio fructus ipſo iure beneficij Fabricæ, vel pauperibus pro rata reſtituere tenẽtur, niſi legitimè fuerint impediti, prout idem Pius V. ſua Conſtitutione declarauit, alteram Leonis X. in Concilio Lateranenſi Conſtitutionem innouando, & declarando.

*Incip. ex proxime. To. 3. ſeſſ. 9. de reform. Cur. & al.*

## *CAP. VIII.*

CÆterum omnes, & ſinguli, qui Diuinum Officium recitare tenentur, benè callere debent rubricas Breuiarij non ſolùm antiquas, ſed etiam recentes, ac præcipuam habere notitiam plurimorum decretorum S. Rituum Cõgregationis ſuper eiſdem; quare ſupradictis præcipimus, & mandamus, vt infra terminum quatuor menſium emant ſibi Breuiarium nouiſſimæ impreſſionis cum officijs Sanctorum, nuper additorum de præcepto: & interim habeant ſaltem libellum eorumdem Officiorũ ſub pœna arbitrij.

§. 1. Canonici verò, Capitulares, & alij Choro addicti, dùm in eo conueniunt, Breuiarium huiuſmodi ſecum habeant; nec diurnis vtantur, ſaltem quando Matutinum Officiũ eſt pſallendum, ſub pœna ſuſpenſionis à Diuinis.

## TIT. XIX.

### De Proceſsionibus.

CAP. I.

INter alia Diuina Officia, quæ ad Eccleſiaſticos pertinent, Proceſſiones; tanquã ad Dei cultum ordinatæ, connumerantur: Proceſſiones enim tàm ordinariæ, quàm extraordinariæ, vel eo potiſſimùm indicũtur, vt gratiæ pro beneficijs acceptis Deo agantur, vel vt ad noua promerenda aurem ſuam precibus noſtris accommodet. Ideoque ab vniuerſo Clero omni pietatis ſtudio, modeſtia, & grauitate ſunt celebrãdę iuxta Ritualis Romani præſcriptum: In his namque Clerici, vt mediatores debẽt ſe gerere inter Deũ, & homines, etenim Chriſti legatione funguntur. Quin etiam huiuſmodi Rogationum tempore ab omnibus feriari, & ieiũnari Sacri Canones, quãuis non præcipiendo, ſed conſulendo, ſtatuerũt.

*Eod. tit. de proceſſ.*

*c. accuſatio quoque 2 q. 7. c. rogationes 2. de conſecr. diſt. 3. vbi gl.*

§. 1. Omnes igitur de Clero Seculari, Nobis Subiecti, Proceſſionibus interueniant veſte decẽti, bireto, ac ſuperpellicio induti, nec pileo, aut pallio vtãtur, ſub pœna arbitrij. Regulares quoque, & exempti, qui ex Tridentini decreto publicas Proceſſiones adire tenentur, atque Laicorum Societates, ſiuè Phratriæ ſuo loco, & ordine progrediantur, nec Proceſſionem vnquam deſerant, quouſque ad Eccleſiam reuerſi, benedictionem acceperint.

*Seſſ. 25. c. 13.*

§. 2. Pro-

Digitized by Google

§.2. Proceſſiones autem publicæ appellantur etiam quæ de antiqua conſuetudine fieri ſolent, & quę pro bono publico, & publico honore Prę-latis exhibendo, & pro publica Eccleſiæ cauſa indicuntur, maximè quando cum Clero conuenit Epiſcopus, vt S. Rituum Congregatio declarauit. *27. Iul. 1609.*

§.3. Si qua verò controuerſia inter Regulares, & Seculares circa præcedentiam exorta fuerit, ad Nos illam cōponere, ac tollere, omni appellatione poſtpoſita, ex eiuſdem Tridentini authoritate ſpectabit. *dict. cap. 13.*

## CAP. II.

DVm Proceſſionis tempus inſtat, omnes Eccleſiam Cathedralem conueniant, vnde ſemper erit proficiſcendum, eòdemque reuertē-dum, niſi aliud Nobis videatur: Cumquè egredi cœperit, Campanæ armonico, & ſolemni ſono pulſentur, vſque dùm penitus ſit egreſſa; quod etiam in reditu præſtandum eſt, nec non in alijs Eccleſijs, per quas erit procedendum.

§.1. Procedant autem bini, Cruce pręeunte, grauiter, modeſtèque omnes, non hùc, atq; illùc oculos conijcientes, vel ad feneſtras attollentes, colloquijſque excluſis, & omiſſis curioſitatibus, Pſalmis, Hymnis, alijſque Sacris precibus operam dantes. Confratres ſaccis induti faciem habeant coopertam: Laici Clericis, Regularibus, *Rit. Rom. eo. tit.*

aut Confratribus non ſe immiſceant, nec Mulieres Hominibus; ſed poſt Sodalitia Regulares, deinde Clerus, poſt Clerum Viri, denique Mulieres iuxta antiquiſſimum vſum ordinatè proſequantur; quem ordinem Primicerij, atque Cæremoniarum Magiſtri ab omnibus obſeruari faciant, & inobedientes, & rebelles ad Nos deferant, vt eos Eccleſiaſticis cenſuris coërceamus.

## CAP. III.

QVo tempore ſolemnis illa Proceſſio celebratur, quæ ad venerationē Sanctiſſimæ Euchariſtię inſtituta eſt, ſcilicet ipſo die feſto, & per Octauā, quādo ineffabilis, ac planè Diuina tanti beneficij memoria ab vniuerſo Chriſtiano orbe recolitur, ęquiſſimū, & Religioni valdè conſonū eſt, vias omnes, per quas incedēdum erit, mundari, parietes ornari, & Altaria erigi, quod vt cōmodiùs fieri poſſit, Primicerij per diē ante nuntient Conuicinis platearū, per quas die ſequēti progrediendū erit; Nunquā verò ſternātur, vel affigantur panni, aut picturę laſciuæ, neq; aliæ res indecētes fiant, quæ riſum potiùs quàm pietatem excitent, atque tunc temporis officinæ cuiuſcumque artis, & tabernæ clauſæ teneantur, donec proceſſio tranſierit.

§. 1. Proceſſionibus autē, quæ ſingulis tertijs Dominicis Menſiū fiunt pro lucrādis indulgētijs cū delatione Sāctiſſimi per vicos, ipſi Cathedrali proximos, omnes Canonici, Presbyteri Capitulares,

lares,& Cappellani participantes interſint, omneſq; Clerici Hebdomadarij, Diaconi, & Subdiaconi ſub pœna arbitrij. In illa verò, quæ fit quotānis in die feſto Purificationis B.M. Virginis, omnes de Clero cādelas accenſas in manibus geſtēt, quarū diſtributio à Nobis fiet in Miſſa ſolemni.

## CAP. IV.

Ibid.

PRoceſſiones iuxta Rituale Romanū priùs fieri debēt, & deinde Miſſa ſolēniter celebrari, niſi aliud Nobis videatur. Ideo ſtatuimus, vt nulla Proceſſio poſt Solis occaſum abſq; Noſtra ſpeciali licētia fiat, neq; pręter cōſuetas ab Eccleſia ſtatutas, vlla vnquā alia publica Supplicatio decernatur, etiā à Regularibus, Nobis inconſultis, ſub pœna interdicti tū Eccleſię, à qua illa digreditur, tùm Eccleſiaſticorū, qui eidem interſunt.

§. 1. Quinimò Regulares ipſi nullas Proceſſiones extra Clauſtra, & ambitū Monaſterij facere poſſunt ſine licētia, & cōſenſu Ordinarij, vel ſine Cruce Parochiali: (eſſet enim iuriſdictionem ſibi vſurpare, quæ ad Epiſcopū, & Parochum ſpectat in eorū Diœceſi, & Parochia, ſiuè ad Capitulum Cathedralis) prout nouiſſimè S. Concilij, ac Sacrorum Rituum Congregatio decreuit.

*c. Epiſcoporum cum ſeqq. 4. q. 2. c. calumnioſo 19 q. 2. 2. Iul. 1620. 28. Febr. 1628.*

## CAP. V.

LAicorū aūt Cōfraternitates, Nobis ſubiectę, ad publicas, & ſolēnes Proceſſiones quaſcūque accedere teneātur, ac etiā ad funeralia, quotieſcumq; vocabūtur, quorū cauſa tarenū vnum

vice

Digitized by Google

vice qualibet pro eleemoſyna cuilibet Cōfraternitati ab Hęredibus defuncti ſoluetur, iuxta antiquā Conſuetudinē; Pauperes verò gratis ſepeliātur à Confratribus S. Mariæ de Miſericordia.

*c. indicatum vbi gl. verſ. alij dicūt 89. diſt. cl. quia contingit, §. vt autem de Relig. domib.*

*Seſſ. 22. c. 9.*

§. 1. Priores verò Confraternitatū, quēadmodum, & Rectores, ſeù Magiſtri Hoſpitalis, Mōtis Pietatis, & aliorū piorū locorū in fine anni, vel pluriès, ſi expedierit, rationē reddant iuxta Sacrorū Canonū, & Trid. Concilij diſpoſitionem.

*Cong. Concil. 18. Iul. 1594.*

*Congr. Epiſcop. 11. Aug. 1617.*

*Rot. Rom. in vna Regien. Hoſpit. 3. Sept. 1584. coram Bubalo.*

*d Clem quia contingit.*

§. 2. Porro Priores, Procuratores, Rectores, Magiſtri, Æconomi, & Adminiſtratores Eccleſiarū, Confraternitatū, & piorū locorū quotānis eligantur de gremio, & numero eorundē Confratrū per ſecreta ſuffragia, quorū confirmatio ad Nos ſpectare dignoſcitur, etſi deſint Confratres; eligāturq; perſonę Idonee, prouidę, & bonæ vitæ, quæ ſciant, velint, ac valeāt rectè, & fideliter adminiſtrare, & quas in vſus alios cōuertere res ſibi creditas, prę́ſumptio veriſimilis non exiſtit. Nā bona ipſa Eccleſiaſtica, iura, res, & actiones, cū plerumq; patrocinio careant, Miniſtrorū incuria dilapidantur, & pereunt. Tranſacto verò anno non confirmentur in officio, niſi de prę́terita adminiſtratione rationem reddiderint, & ſoluerint, vel de ſolutione cauerint.

§. 3. Obediētiam quoque reddi ſolitam in noſtra Cathedrali Eccleſia cū oſculo manus, & exhibitione Intorcitij ſingulis annis in die feſto S. Agathæ iuxta antiquiſſimū morem, & inueteratā

Con-

Digitized by Google

Cõſuetudinem, omninò exequi mãdamus, prout in rotulo, inferiùs inſerendo.

*Catalogus eorum qui tenentur Cõparere, & obedientiam præſtare Epiſcopo Gallipolitano quotannis in die Feſto D. Agathæ.*

Reu. Abb. S. Mauri.

Reu. Abb. S. Saluatoris.

Rector Beneficij ſub tit. S. Nicol. de Philoſophis.

Rector Beneficij vulgo dicti delli Securi de Iure patronatus Laicorum eorumdem.

Prior Confraternitatis Sanctiſſimi Sacramenti comparere debet cum oblatione, ſed vocatur, & non comparet, quia Confratres nondũ induerunt ſaccos, vt in Viſitationibus.

Prior Confraternitatis S. Angeli.

Prior Confraternitatis S. Mariæ de Cannito.

Prior Confraternitatis S. Mariæ de Miſericordia.

Prior Confraternitatis S. Ioannis Baptiſtæ.

Prior Confraternitatis S. Antonij.

Prior Confraternitatis S. M. de Cõſtantinopoli.

Prior Confraternitatis S. Mariæ Sacratiſſimi Roſarij.

Prior Confraternitatis Immaculatæ Conceptionis B. M. V.

Prior Confraternitatis S. Ioſephi.

Prior Confraternitatis S. Mariæ de Caſſopio.

Prior Confraternitatis Animarum Purgatorij.



Digitized by Google

## TIT. XX.
## De Sepulturis, & Exequijs.

### CAP. I.

*1. Cor. 3. 6. 13. Epheſ. 5.*

AD Clerum quoque ſpectat curare, vt Fidelium Corpora, quæ dum vitam vixerunt, templa fuere Spiritus Sancti, Eccleſiaſtico ritu efferantur. Quo circa omnia, & ſingula, ſequentibus decretis cōtenta, exactè ab omnibus ſeruari mandamus.

*Clem. cupientes de pæn.*

§. 1. Nemo igitur, tàm Secularis, quàm Regularis per vim, & blandis verbis aliquem inducere audeat ad eligendam ſepulturam in ſua Eccleſia, vel electam mutare, alioquin hoc attētantes pœnam excommunicationis incurrēt: electio enim debet eſſe voluntaria, nec à quocumque impediri poteſt, vt S. Rituum Cōgregatio decreuit. Seruato tamen iure quartæ funeralis, Cathedrali Eccleſiæ debitæ, quando Cadauera in Eccleſijs Regularium ſepeliuntur. Quare interrogentur tantummodò moribundi, in qua Eccleſia cupiant ſepeliri, ſitque interrogatio generica: nam ſi aliqua Eccleſia ſpecificè nominetur, eiuſmodi electio, tanquam ad ſuggeſtionem facta, non valeret. Si quis autem deceſſerit, facta electione ſepulturæ, & ob aliquod impedimentum in Eccleſia electa ſepeliri non potuit, Vicarius noſter arbitrabitur, in qua Eccleſia ſit ſepeliendus ſecundum coniecturas, & deuotionem decedentis; non enim poteſt

*31. Mart. 1629. cl. dudum de ſepult. Trid. ſeſſ. 25. c. 13. Conſt. Pij V. Incip. etſi mendicantium.*

*arg. text. in l. 3. §. pē. ff. de quæſt.*

*Vid. Genuenſ. in prax. c. 62. n. 5.*



Digitized by Google

teſt dici, deceſſiſſe ſine electione, neque impedimentum huiuſmodi præuidiſſe, neque in Eccleſia Parochiali ſepelire voluiſſe.

## CAP. II.

DEfuncti Cadauer extra domum nullus efferat, ſed antiquiſſima huius Eccleſiæ conſuetudo ſeruetur, qua inductum eſt, neminẽ poſſe ſepulturæ tradi, niſi obtenta priùs noſtra, vel noſtri Vicarij licentia in ſcriptis (quod ſepeliatur vocant) ſub pœna excommunicationis. Idq; optima ratione factum videtur, cum Eccleſiaſtica ſepultura carere debeant, nõ ſolùm Infideles, Apoſtatę, Hæretici, Schiſmatici, & Infãtes abſq; Baptiſmo defuncti, ſed etiam publicè excommunicati, & nominatim interdicti, vel in loco interdicto exiſtentes, interdicto durante; ſe ipſos occidentes ob deſperationem, vel iracundiam, in duello morientes, non confeſſi ſaltem ſemel in anno, nec in Paſchate communicati, manifeſti, & publici peccatores non pœnitentes, alijque quamplurimi, vt Sacri Canones decreuere. Propter debitum verò quodcumque non ſolutum non eſt deneganda ſepultura, neque Cadauer ſequeſtrandum, neque funeralia retardanda; id namq; Chriſtianę pietati admodum repugnare videtur.

*Vid. Sebaſt. Medic. de ſepult. q. 11. Poſſev. de offic. Curat. c. 14 n. 4. vbi Addit.*

*Congr. Epiſc. in vna Caſſanen. 5. Maij 1617.*

## CAP. III.

PEregrini, Exteri, & qui in Hoſpitali domo deceſſerunt, nec non qui ſibi ſepulturam non

elegerunt, iuxta Inueteratam Conſuetudinem in Eccleſia Cathedrali ſepeliãtur, vel in alia de Noſtra, vel Vicarij noſtri licentia, noſtrique Capituli interuentu, ſeù conſenſu.

Vid. Bertran. Alteraat. iuriſd ar. 64 in fin. tract. de Regal. Regn. Franc.

§. 1. Cum decedentibus autẽ ab inteſtato ſeruetur immemorialis, & rationabilis huius Eccleſiæ, & quamplurium Diœceſum Regni conſuetudo, ſecundum quam corpus non ſepelitur, niſi priùs Epiſcopus faciat teſtamentum ad pias cauſas, ſeù diſponat pro Anima defuncti de aliqua pecuniarum quantitate, moderata tamen, & tẽporis, loci, ac perſonarum conditione perpenſa. Fundatur enim in præſumpta mente decedẽtis, qui ſi caſum inopinatæ mortis præuidiſſet, aliquid pro anima ſua, & in reſtitutione forſan malè ablatorum, etiam ſi extarẽt hæredes, iuxta omnium generalem Conſuetudinem reliquiſſet.*

arg. gl. in l. tale pactũ, ff. de pact.

§. 2. Si verò Peregrinum, & Aduenam à longè remotis Orbis partibus inteſtatũ è vita migrare contigerit, cuius legitimi hæredes non ſint, vel certè ignorẽtur, tunc ius commune ſeruetur, quo cautum eſt, vt eorum bona ab Epiſcopo in pios vſus diſtribuantur.

Auth. omnes peregrini, C. cõm. de ſucceſ.

CAP. IV.

a ad Apoſtolicã de Simon.

PRo Sepulturis, Fidelibus ſepeliẽdis, vel anniuerſarijs nihil petere, nihil exigere, vt debitum liceat, verùm laudabiles, piæque in ijs ſeruentur Cõſuetudines. Quod ſi Defunctorum hæredes

Digitized by Google

redes, religioſum exequiarum inſtitutum negligentes, debitas exequijs impenſas non exhibuerint, à Nobis cogentur ad ea comperanda, quæ ad honeſtum eius rei vſum, iuxta facultates, conuenire videbuntur, vt in Prouinciali Synodo ſtatutum eſt. *eod. tit. c. 3.*

§. 1. Quando verò probabiliter timentur futuræ moleſtiæ, & contẽtiones, ad illas tollendas poterũt cõſueta dari, & peti ante adminiſtrationem. Pauperes autem, & miſerabiles perſonæ, quibus nihil, aut parum ſupereſt, impenſa Eccleſiæ, in qua ſibi ſepulturã elegerint, vel noſtrę Cathedralis, ſi inteſtati deceſſerint, ſepeliantur. *Vid. Nauarr. in Man. c. 23. num. 106.*

§. 2. Cæterùm diſtributio funeris ijs tantum fiat, qui funeri interſunt, atque ita vt abſentium portio præſentibus accreſcat. Infirmi verò, aut alia iuſta cauſa impediti, portionibus, quæ illi obuenirent, non defraudentur. Qui autẽ ad exequias acceſſerint, induti ſint ſuperpellicijs cum biretis, nec recedant, niſi finito ſepulturæ officio; quod ſi in aliena Eccleſia fieri contigerit, proceſſionaliter, Cruce præeunte, omnes ad Cathedralem reuertantur, aliàs de manualibus non participent.

## *CAP. V.*

ANte Solis ortum, & poſt Occaſum Cadauer efferri prohibemus abſque noſtra licentia. Nec niſi tranſactis duodecim ſaltem horis



Digitized by Google

poſt eius obitum ſepulturæ mandetur. Quod ſi quis repentina morte correptus fuerit, eius corpus viginti quatuor horarum ſpatio inhumatum ſeruetur, niſi æſtiuo tempore aliud nobis viſum fuerit.

§. 1. In efferendis Cadaueribus lõgi viarũ circuitus euitẽtur. Presbyteri deferant defunctum Presbyterũ, Diaconi Diaconũ, Subdiaconi Subdiaconũ, & Clerici Clericum. Laici verò corpus, quolibet generis, vel dignitatis titulo præditus ille fuerit, non Clerici, ſed Laici deferant, vel Cõfratres, vel Congregationum Sodales. *Rit. Rom. eo. tit.*

## CAP. VI.

*Ibid.* SAcerdos, aut cuiuſuis Ordinis Clericus, vita functus, quotidianis ſuis veſtibus induatur, tùm deſuper Sacerdotali indumẽto, vel Clericali, quẽ Ordinis ſui poſcit ratio, Altari velut miniſtraturus efferatur: Omneſq; in ſacris Cõſtituti cũ Alba ſepeliantur in ſepultura, nouiter conſtructa propè Altare D. Agathæ, Clerici verò in alia antiqua Clericorũ propè Altare Maius, niſi alibi ſibi ſepulturam elegerint. Neque in præfatis ſepulturis Laicorum corpora ſepeliantur quouis pretextu, ſub pœna interdicti.

§. 1. Tollatur abuſus, quo defunctarũ mulierũ cadauera pretioſis induta veſtibus ſepulturę tradi conſueuerunt: Nã meminiſſe oportet earũ viros, & conſanguineos, ſe tunc terram terræ tradere, conſultiuſq; facturos, ſi veſtes illas, alioquin

ver-

vermium eſcas, pio alicui vſui pro defunctarum Animabus potius erogent.

§. 2. Defunctorũ autẽ Corpora, ſepulturę demandata, vel adhuc inhumata in Eccleſia ſiſtẽtia nemo audeat ſuis veſtibus expoliare. Qui tã immane ſacrilegiũ perpetrare prę ſũpſerit, vel attẽtare, præter alias pœnas à iure ſtatutas, excõmunicationem latæ ſententiæ nouerit ſe incuriſſe, abſolutione Nobis tantùm reſeruata.

## CAP. VII.

IN ſepeliendis corpuſculis Paruulorum infra ſeptemniũ ſeruentur cęremonię traditę in Rituali Romano, & præcipuè circa ſpeciales, & ſeparatas ab alijs ſepulturas. In eorum verò proſequendis funeribus modulatos cãtus cũ inſtrumẽtis muſicis omninò adhiberi prohibemus, quia nec multã gloriã facit Deus cũ eis. Poterit tamẽ vltra officium Paruulorum in actionẽ gratiarum celebrari Miſſa de Spiritu Sancto, de Sanctiſſimo Sacramento, & de Angelis.

*tit. de exeq. paruulor.*

*Vid. Inn. & Zabar. in c. 1. de reliq. & ven. Sãct.*

## CAP. VIII.

NVlli liceat, Defunctum aliquẽ in funere laudare abſq; noſtra licentia: ſed tantùm ij, qui adſunt, moneãtur ad preces pro defuncti Anima effundendas, vt à peccatis ſoluatur, atque ad humanã miſeriã contemplandã, & ad vigilandũ, vt cũ venerit Dñs, cuius aduentus hora neſcitur, ipſos paratos, & vigilãtes inueniat, nè dies illa amara valdè, tanquam fur eos comprehendat.

*Matth. 24.*

*1. Theſſal. 5.*

§. 1. Hor-

§. 1. Hortamur etiam omnes, maximèq; mulieres, vt in obitu, & funeribus ſuorũ defunctorum abſtineant à Cantilenis, vlulatibus, & immoderato planctu, criniũ dilacerationibus, alijſq; huius generis, quæ potiùs Ethnicorũ mores ſapiũt, quàm Chriſtianã modeſtiã, & tẽperantiam; nam, vt monet Apoſtolus, dedecet Chriſtianos cõtriſtari de dormientibus, ſicut cœteri, qui ſpem nõ habent. Ipſis autẽ mulieribus funus proſequi extra domũ omninò prohibemus, nec non luctũ lõgiùs protrahere, & in tenebris latitare, adeò vt neq; ad audiendas Miſſas egrediantur; cui malo aliàs occurrere non prætermiſimus.

*1. Theſſal. 4.*

*Conc. Tolet. 3. Can. qui diuina.*

*ſup tit. 3. c. 5. & tit. 12. c. 6.*

## CAP. IX.

SEpulturæ omnes, tàm cõmunes, quàm priuatæ, ſint ſubtus terrã profundè defoſſę in Eccleſiæ ſinu, vel in Cæmeterijs, non autẽ ſupra pauimentũ elatæ, vel muro inciſæ, neq; ſub Altaribus, vel eorũ ſcabellis ligneis, quod S. Congregatio Epiſcoporũ prohibuit: Sintq; omnes debitis operculis lapideis munitæ, quemadmodũ in illarum viſitatione prçcepimus.

*Conſt. Pij V. Incip. cum primũ.*

*6. Sept. 1593. 10. Nou. 1599.*

§. 1. Neque liceat prophana, aliauè minùs decentia ſepulchris ſuperſcribere, pingere, vel cælare. Si quæ vero epitaphia, vel alia huiuſmodi apponenda ſunt, Nobis præmõſtrentur, alioquin delebuntur, & contrafacientes arbitrio noſtro punientur.

TIT.

Digitized by Google

# TIT. XXI.
## De Vita, & Honeſtate Clericorum.

### CAP. I.

CLerici cum ſint genus electum, Regale Sacerdotium obtinentes, adeò debent cęteris ſanctioribus virtutibus præcellere, vt acquiſitionis populus, & forma fidelium facti videantur, ad quorum exemplum ſe ſe Populi, Chriſti ſanguine redempti, componere ſtudeant; non verò è contra, vocationis ſuæ immemores, laqueus potiùs ſint fidelium Animabus. 1. Theſſal. 3. 1. Tit. 2.

§. 1. Vehementer igitur obſecramus in Domino omnes Eccleſiaſticos, noſtræ curæ commiſſos, vt vitam, moreſque ſuos ità componant, vt habitu, geſtu, inceſſu, ſermone, alijſque rebus omnibus, nil niſi graue, moderatum, & religionis plenum pręſeferant, leuia etiam delicta vitantes, quæ in ipſis maxima eſſent; ac denique omnia, & ſingula, quæ à Summis Pontificibus, & à Sacris Concilijs de honeſtate Clericorum, vita, & doctrina copiosè tradita ſunt, enixè obſeruare ſtudeant, quorum infraſcripta præcipua capita explicanda, obſeruandaque proponimus ſub certis pœnis à iure ſtatutis, & in noſtro publico edicto contentis, quas hìc innouare decreuimus, alijſq; arbitrarijs, vbi certa pæna nō eſt impoſita, vt qui virtutis amore ab exceſſibus non retrahūtur, flagellorum timore perculſi reſipiſcant. Reſeruantes

Trid. ſeſſ. 22. c. 1 de reform.

3. Ian. 1660.

tes Nobis authoritatem,& poteſtatem corrigendi,declarandi,addendi,& minuendi,& ſentẽtias, ac pœnas aggrauandi,prout Nobis placuerit, & viſum fuerit expedire.

## CAP. II.

*c.plen. de vit. & hon. Cler. cl. 2. & eo. tit. Trid. ſeſſ. 24. c. 12.*

CLericorum habitus ( vt hìnc exordiamur) quemadmodum non debet eſſe nimis exquiſitus,ſumptuoſus,& delicatus,ita dedecet eſſe ſordidum,ruſticum,& lacerum.Sit igitur decens, atque modeſtus,talaris,& nigri coloris , non ex panno villoſo,ſeù lana ruſticiori. Breuioris autẽ veſtis vſum extra mœnia , & in itinere non improbamus;atque in interiori parte veſtis alium colorem,dummodò honeſtum,tolerabimus,quẽadmodum etiam in thorace,femoralibus, tibialibus,victis,& ligaminibus, non tamen in calceis, qui ſint omninò nigri.Veſtis,ſiuè tunica à parte anteriori tantùm ſit aperta,vbi modeſtis orbiculis eiuſdem coloris viciatur , non autem à parte poſteriori,neq; in manicis,quas nec inciſas, nec duplicatas,& ab humeris pendẽtes, præterquàm in itinere,habere liceat,ſitque decenti zona pręcincta.Collaria,& Armillæ ſint ex tela tenui,mũda,& ſimplici,non reticulata,vel acu elaborata, nec vltra tres digitos ampla. Pileum , ſi quando extra Eccleſiam ſumere oporteat,honeſtum ſit,& ſimplici laqueo nigri coloris circumdatum ; In functionibus verò Eccleſiaſticis bireto Clericali

*Congr. Epiſ. 18. Oct. 1589.*

vtan-

Digitized by Google

vtantur,non autem ſubireto,ſiuè pileolo,niſi valetudinis cauſa,& tunc abſque rugis,ſiuè plichis, & abſque vllis ornamentis adhibeatur.

§.1.Prætereà alias peculiares veſtes, & ornamenta Clerici habere debent in ſuis functionibus deferenda,nempè ſuperpellicium, quo etiã Prima Tonſura initiati,& Coniugati vtantur, quandocumque in Diuinis deſeruiunt.Subdiaconi, & Diaconi,vltra cottam,Albam habeãt cum Amictu,& Cingulo;Præsbyteri verò, quorum facultates ſuppetunt, de Caſula cum Stola, & Manipulo,alijſque ad celebrationem Miſſę neceſſarijs, ſibi prouideant. Canonici demùm, Subdignitates, & Dignitates Almutium quoque habeant, quod circa humeros deferant.

§.2.Omnes inſuper de Clero Tõſurã, ſeù Coronam,quæ eſt Militię Spiritualis inſigne,vniuſcuiuſq; Ordini, & Gradui conuenientem continuò gerant;& iuxta Apoſtolicas Sanctiones profuſam comam non nutriant.Barbam quoque modeſtè tondeant,maximè Sacerdotes,qui ſuperioris labij pilos ità tonſos gerere debent, vt nullũ Sanctiſſimæ Euchariſtiæ ſumptioni impedimentum afferant. Annulorum quoque delatio Clericis eſt interdicta,niſi aliud Dignitatis,vel Honoris ratio poſtulet.

*d.c pen.de vit. & hon.Cler.*

*c.ſi quis 4.c.Clericus 5.& c.Clericis 7.eod.tit.*

## CAP. VII.

CLerici, etiam in Minoribus conſtituti, habitum,& Tonſuram continuò gerãt,aliàs

Seſſ.23.c.6. iuxta Conc. Trid. decretū fori priuilegio nouerint eſſe priuatos. Nec habitum mutent (maximè Sacris initiati, & Beneficiati) quacumque ex cauſa; neque ob mortem Coniunctorum veſtem lugubrē, & luctuoſam deferant, Collariaue deponant, nequè adimplendi voti cauſa Tunicam geſtent coloris alterius Religionis, abſque noſtra expreſſa licentia.

§.1. Nullus è contra, qui non ſit Clericali charactere inſignitus, exceptis noſtræ Curiæ, & Eccleſiæ Seruientibus, habitum Clericalem deferre præſumat, maximè irriſoriè, vel hiſtrionicè ſub pœna excommunicationis: Seruientibus autem de ann. 1623. prædictis Tonſuram deferre Sacra Congregatio prohibuit.

## CAP. IV.

c. Clericus 6. de vit. & boneſt. Cler.

CLericus verò, qui Matrimonium de præſēti contraxerit, tacitè Clericatui renūtiaſſe cenſetur; Ideòque Habitum, & Tonſuram deponere debet, niſi præuia informatione, quòd cū Vnica, & Virgine contraxerit, à Nobis, vel noſtra Curia obtinuerit, quòd, Matrimonio non obſtante, liceat ei in Clericatu permanere; alioquin delatio habitus minimè ſuffragabitur, & à Nobis vt ſupra punietur. At verò Bigami nullo pacto Habitum, & Tonſuram retinere prȩſumant ſub pœna excommunicationis.

c. præcipimus, & c. ſi quis viduam 34 diſt. c. altercationi de bigam. in 6.

CAP.

## *CAP. V.*

OMnes inſuper Clerici, tàm Cœlibes, quàm Coniugati ſeruitium in Diuinis præſtent in Eccleſia Cathedrali, cui fuerunt adſcripti, aliàs iuxta præfatam Concilij Tridentini diſpoſitionē & Bonifacij VIII. Conſt. fori priuilegium amittent. Frequentent etiam Sacramenta, & qui in Minoribus ſunt, vel Prima Tonſura initiati, ſaltē tertia quaque Dominica Menſis communicent; qui verò in Sacris, omnibus Dominicis, & quandocumque miniſtrauerint. In Maioribus autem ſolemnitatibus omnes conueniant, & Sacras Cōciones auſcultent ſub pœna arbitrij.

*d.c.6.ſeſſ.13. c.6.de Cleric. coniug.in 6.*

*Trid.d.ſeſſ.23. c.13.*

§. 1. Quicquid verò temporis ab Eccleſiaſticis functionibus, & neceſſarijs negotijs Clericis vacuum erit, non in otio, & deſidia conterant, in Tōſtrinis, Aromatarijs, vel alijs publicis locis morando, & confabulando: nam in multiloquio non deerit peccatum, & qui cuſtodit os ſuum, cuſtodit animam ſuam; Neque extra domum vagētur poſt tertiam noctis horam, niſi, neceſſitate vrgēte, cum lumine inceſſerint: Sed quoniam Dei Miniſtri ſunt, in lege eius meditentur die, ac nocte. Quare qui commodè præſtare id poterūt, habeāt vtrumque teſtamentum, S. Concilium Tridentinum, Cathechiſmum, & Rituale Romanum, ac Libros Caſuum Conſcientiæ, vel ſaltem Summā Toleti, aut Theſaurum Doctrinæ Chriſti, & aliquot Spirituales libellos, vt illos legendo poten-

*Prou.10. Prou.13.*

*Pſam.1.*



Digitized by Google

tiores reddantur in ſana doctrina exhortatores, & ſeipſos immaculatos cuſtodiant. Neque deſpiciant narrationem Præsbyterorum Sapientiũ, & in Prouerbijs ipſorum conuerſentur.

*Ecclesiaſt. c. 8.*

## CAP. VI.

*1. Cor. 4.*

CVm autẽ Clerici propter Chriſtũ ſpectaculũ facti ſint Mũdo, Angelis, & hominibus, Comœdias, Fabulas, Choreas, aut pphanũ aliud ſpectaculi genus agere, ſeù ſpectare prohibem⁹: nec nõ teſſeris, alejſq; ludere, vel domũ aleatoriã habere. Ad hæc nullũ venationis, aut aucupij genus, à Sacris Canonibus prohibitũ, obeant; neq; Cauponas, aut tabernas ingrediantur, niſi cauſa neceſſitatis in itinere conſtituti; neq; cõmeſſationibus, compotationibus, alijſuè minùs honeſtis cõuiuijs interſint: nam à Crapula, & ebrietate abſtinere debent, quæ mentis inducit exilium, & libidinis prouocat incentiuum.

*c. cum decorem, & c. pen. de vit. & hon. Cler. c. 1 eod. tit. in 6.*

*c. 1. & 2. de Cler. venat. d. c. pen.*

*Ad Rom. 13. c. à crapula de vit & hon. Cle. Prou. 20.*

§. 1. Cumq; non ſolùm à crimine, ſed etiã à criminis ſuſpicione cauendum ſit; Ideò præcipimus Clericis, vt iuxta Sacrorũ Canonũ, & Conc. Trid. decreta nullã cũ ſuſpectis, vel ſcãdaloſis mulierib⁹ cõſuetudinẽ habeãt, nec earũ, vel minima opera, vtãtur domi, vel extra. Famulas etiã nõ niſi de Noſtra licẽtia retineãt, quã cõcedemus certiorati de earũ ætate, qualitate, & vitæ probitate. Neq; mulieres quãtumuis honeſtas, Nobis incõſultis, ſcribere, legere, ſeù cantare, aut ſonare doceant.

*Seſſ. 25. c. 14. de reform. c. interdixit 32. diſt. c. fœminas cũ concord. 81. diſt. c. 1. & 2. de cohab. Cler. & mul. Cong. Epiſc. 15. Febr. & 7. Iun. 1619. c. fin. de vit. & hon. Cler.*

§. 2. Præterea mercaturas non exerceant, venden-



Digitized by Google

dendo, vel reuendendo, per ſe, vel per alios; neq; vt proxenetę negotijs ſecularib⁹ ſe implicẽt; neq; aliena prædia abſq; Noſtra licẽtia conducãt, neq; pro alijs ſpondeant. Ab illicitis negotiationibus, & vſuris, tanquã à mortifera lue abhorreant, omneſq; turpes quæſtus ſciant, ſibi eſſe prohibitos.

§. 2. Artẽ Medicam, Chirurgiamuè ſine diſpẽſatione, aut alias quaſcumq; mechanicas, aut ſordidas artes exercere non audeant, neq; Agriculturam, niſi quatenus à Sacris Canonibus eſt ipſis permiſſum. Nemini famulatum præſtent, & indecora ſeruitia, aut officia vilia, ſiuè opera, quę Clericatui decori non conueniunt, exequantur. Lites alienas apud Seculares Iudices patrocinandas, vel procurandas non ſuſcipiant, ſed tantùm proprias, & domeſticorũ, atq; Eccleſiæ, & miſerabiliũ perſonarũ; domi tamen per ſcripturas patrocinari S. Congregatio Concilij permiſit. Neque abſq; Noſtra licentia aliorũ tutelã ſuſcipiant, ad quam ſuſcipiendam cogi non poterunt, vt eadem Congregatio declarauit. Neque Tabellionatus munus exerceant, niſi in foro Eccleſiaſtico. Neq; in foro Laicali querelas, & accuſationes exponere præſumant ſine noſtra licentia, & tunc citra pœnam ſanguinis, ſuã, vel ſuorum iniuriã proſequẽtes. Neq; corã Incõpetenti veritatis teſtimoniũ perhibere, & iusiurãdũ pręſtare audeãt, ſuper quo licentia cõcedetur, poſtquã corã Nobis, vel noſtra Curia iurauerint, dũmodo non deponant

ſuper

*c. 2. inſtituta, ne Cler. vel Mon.*
*c. credo cũ ſeqq. 21. q. 3.*
*c. te quidem 11. q. 1.*
*c. 1. cum ſeqq. 47 diſt.*
*cl. 1. de vit. & hon. Cler.*
*91. diſt. per mul. Can.*
*d. c. te quidem.*
*c. 1. §. contentiones, & c. 3. & 4. ne Cler. vel Mõ.*
*c. 1. de poſtul.*
*20. Iul. 1619.*
*23. Nou. & 14. Ian. eiuſd. ann.*
*c. ſicut. ne Cler. vel Mon.*
*c. Clericis, & c. ſententiam, eod. tit. & c. Prælatis de homicid. in 6.*
*Congr. Ep. 14. Apr. 1615. & 19. Iul. 1919.*

ſuper articulis,concernentibus criminalitatem, infamiam,vel repulſam. Iuramenta autem volũtaria in ſtipulationibus contractuũ, & ſimilibus corã nõSuperiore,tacto pectore,pręſtari ſufficiet.

§.4.Quo circa prouidere volẽtes ſuper idemnitate,tàm Vniuerſitatis,quàm aliorum particularium, præcipimus omnibus Eccleſiaſticis, noſtræ Iuriſdictioni ſubiectis, ſub grauibus pœnis carceris,exilij,ac etiam pecuniarijs pro arbitrio noſtro infligendis,nè fictos,figuratos, & fraudulentes contractus donationum,ceſſionum, venditionum,permutationum,aut huius generis alios ineant,ne vè illis vtantur,qui etiam à noſtra Curia nulli declarabuntur.

## CAP. VII.

DEnique cum armorum delatio non Milites Chriſti,hoc eſt, Clericos, deceat: arma enim Militiæ noſtræ, ait Paulus, non carnalia ſunt,ſed orationes, & lacrymæ; Idcirco ſtatuimus,& mandamus, vt nemo eorum Arma deferat cuiuſcumque generis,offenſiua,vel defenſiua. Qui autem iſtiuſmodi præcepti tranſgreſſores extiterint,etiam alienæ Diœceſis intra fines noſtræ Iuriſdictionis degentes, à Nobis ſeuerè punientur,& tàm pecuniariam, quàm corporalem carceris,exilij,ac etiam triremium,pro ſua,& armorum qualitate pœnam luent, in edicto comminatam.

*2.Cor.10.*

*c.1.de vit. & hon.Cler.*

TIT.

# TIT. XXII.
## De Regularibus, & Monialibus.

### CAP. I.

NVnc ad alterã Cleri partem declinemus, quæ ſub Regulari Obſeruantia Deo militãs, Nobis, & Clero noſtro in vinea Domini colenda haud parùm adiumenti eſſe debet, non ſolùm verbo, & doctrina in Concionibus habendis, & Confeſſionibus audiendis, ſed etiam orationibus, & Diuinorum Officiorum celebrationibus, atque exemplo bonorum operum; ſæpius enim plus deſtruitur improbitatis exẽplo, quàm verbo, & doctrina ædificetur. 1. Tit. 2.

§. 1. Quapropter toto pectore obſecramus in Domino Regularium Prælatos, & Superiores, vt in eorum Cœnobijs, quæ in hac noſtra Ciuitate conſtructa poſſident, exemplares Religioſos incolas habeant, eiſque præcipiant, vt ad Regularis diſciplinæ, & ſuarum inſtitutionum obſeruãtiam ſolliciti inuigilent, & erga Clerum, & quaſcumque perſonas Seculares ea, qua decet pietate, & modeſtia ſe gerant, & iuxta Apoſtoli vocẽ, Nemini dent vllam offenſionem, vt non vituperetur miniſterium eorum. Trid. ſeſſ. 25. c. 1 de Regularib. 2. Cor. 6.

### CAP. II.

NOuerint etiam Regulares, multa à Sacris Canonibus, & Concilijs, præſertim Triden-

dentino, Apoſtolicisque Conſtitutionibus ſibi eſſe prohibita, quorum nonnulla in ſuperioribus titulis pro materię qualitate retulimus, multumque Epiſcopis, intra quorum Diœceſeos fines degunt, ſuper eos in prorogationem poteſtatis, & iuriſdictionis eſſe delatum, quæ tamen omnia hìc recenſere ſuperuacaneum duximus, his paucis ſequentibus tantummodò contenti.

§. 1. In primis autem pro regula generali notandum ponimus, quòd vbicumque Sacri Canones, Conſtitutiones Pontificiæ, & ſignanter Sacroſanctum Concilium Tridentinum dant facultatem Epiſcopis ſuper Regulares, & exemptos in caſibus expreſſis, poſſunt ipſi Epiſcopi, tanquam Apoſtolicæ Sedis delegati, illos compellere ad exequendum eorum mandata, & decreta per iuris remedia, atque cenſuras Eccleſiaſticas, prout eiuſdem Concilij Congregatio pluries declarauit.

*Limã. 19. Sept. 1625. Nebien. 7 Febr. 1632.*

§. 2. Ex eiuſdem Tridentini diſpoſitione Regulares cuiuſuis Religionis, Ordinis, & Inſtituti, ſi extra clauſtra deliquerint, vt Populo ſcandalo ſint, inſtante Ordinario loci, infra terminum ab eodem præficiendum, à ſuis Superioribus puniēdi ſunt, & de facta punitione Epiſcopus certiorādus in ſcriptis cum expreſſione modi punitionis; alioquin Superiores ipſi officio priuari, & delinquentes ab ipſo Epiſcopo puniri poterũt. Quòd ſi intùs Eccleſiam Regularem delinquatur, delictum

*d. ſeſſ. 25. c. 14.*

*Congr. Conc. in vna Lucana 14. Decemb. 1630.*

Digitized by Google

ctum extra Clauſtra patratum erit. Si verò Regularis degens extra Monaſterium delinquat, tunc ex alio eiuſdẽ Concilij decreto ab Epiſcopo loci delicti erit puniendus, quemadmodum etiam ſi abſque licentia ſui Superioris in ſcriptis à ſuo Monaſterio receſſerit. *Seſſ.6.c.3.de reform.* *d.Seſſ.25.c.4.*

§.3. Vt autem alio eiuſdem Concilij Tridentini præcepto ſatisfiat, in Monaſterijs Regularium Sacræ Scripturæ lectio ſemper habeatur, qua in re ſi eorum Superiores negligẽtiùs ſe geſſerint, ab Epiſcopo loci poſſunt compelli. *Seſſ.5.c.1.*

§.4. Mulieres non poſſunt ingredi ſepta, & Clauſtra Regularium; nam à Pio V. in ſuo motu proprio, à Gregorio XIII. innouato, & confirmato, fuit illis prohibitum ſub pœna excommunicationis, Summo Pontifici reſeruatæ; & pro Regularibus, id permittentibus, ſuſpenſionis à Diuinis, priuationis officiorũ, & vocis actiuæ, & paſſiuæ ipſo facto; & extat declaratio S. Rituum Congregationis, Nõ licere mulieribus comitari proceſſiones per Clauſtra Monaſteriorum Regulariũ abſquè expreſſa licentia Sedis Apoſtolicæ. *Incip. Regulariũ perſonarum. Conſt. Incip. vbi gratia.* *In vna Oriolan. 13. Sept. 1628.*

§.5. Regularibus quoque ipſis prohibitus eſt acceſſus ad Monaſteria Monialium pro allocutione ſine licentia S. Congregationis ſub pœna priuationis vocis actiuæ, & paſſiuæ, & officiorũ, à qua nõ poſſunt abſolui, vel habilitari, niſi à Sede Apoſtolica, & ab eadem S. Congregatione; eorũ verò punitio in foro externo ad Nos ſpectat, tã- *Congr. Epiſc. de mand. Sixt. V. 7. Maij 1590.* *Ead. 22. Aug. & 7. Sept. 1603.*

quam Sedis Apoſtolicæ Delegatos. Si quis autẽ Regularis cum Moniali, in primo, vel ſecundo gradu Conſanguinitatis ſibi coniuncta, alloqui cupiat, ad Nos pro licentia recurrat, quam ter, vel quater in anno concedere poſſumus, ſeruatis conditionibus, in decreto eiuſdem S. Congregationis appoſitis, iuſſu Vrbani VIII. edito.

*21. Nou. 1623.*

## CAP. III.

SAnctimoniales autem Virgines, quæ Religionem ingreſſæ Diuino ſe ſe cultui manciparunt, vt oculis Cœleſtis ſponſi magis placere poſſint, & cum Sponſa dicere: dilectus meus mihi, & ego illi, ſecundum regulam, quam profeſſæ ſunt, omni conatu viuere ſtudeant, omniaque, & ſingula, quæ de reformatione Monialium, & earum Clauſura in Tridentino Concilio, & per Summorum Pontificum Conſtitutiones, præſertim Bonifacij VIII. Pij. V. & Greg. XV. ſancita fuere, diligenter obſeruent. Obedientiæ, Paupertatis, & Caſtitatis vota, nec non omnia, ad communem victum, & veſtitum pertinentia, inuiolatè cuſtodiant; quod vt meliùs facere poſſint, ordinationes, & admonitiones, quas nuper in earũ Viſitatione fecimus, obſeruare non prætermittant.

*Cant. 6. cl. exlxi, §. cum igitur de verb. ſign.*

*Incip. periculoſo Incip. decori. Incip. inſcrutabilis. Trid. d. ſeſſ. 25. c. 1.*

## CAP. IV.

ABbatiſſa non minor annis quadraginta, & quę octo annis poſt expreſſam profeſſionem

*d. ſeſſ. 25. cap. 6. & 7.*

Digitized by Google

nem laudabiliter vixerit, per vota ſecreta deligatur, cœteriſque dotibus polleat, quas Sacri Canones exigunt. Quòd ſi in Monaſterio eiuſmodi non reperiatur, ſeruetur in eius electione eiuſdẽ Tridentini decretum; Nec ætatis tantùm, vel antiquitatis profeſſionis emiſſæ, verùm etiam morũ probitatis, vitęque integritatis ratio habeatur. Si verò vna Soror in Abbatiſsã electa fuerit, altera Soror germana in Vicariam, Capſeriam, Diſcretam, Ianitricem, vel in aliud officium non eligatur; Non tamen Soror Abbatiſſæ in officio ſuccedere prohibetur, prout S. Congregatio Epiſcoporum, & Regularium declarauit. Neque officiũ Abbatiſſæ vltra trienniũ poterit prorogari abſq; licentia eiuſdem S. Congregationis; quemadmodum nec officium Confeſſarij Ordinarij Monaſterij, cui Moniales omnes ſemel ſaltem ſingulis Menſibus, & in omnibus Feſtis Solemnibus Confeſſionem peccatorum facere teneãtur, & Sacroſanctæ Euchariſtiæ ſalutari præſidio ſe munire ad omnes oppugnationes Dæmonis fortiter ſuperandas.

*19. Apr. 1619. Conſt. Gregor. XIII. Incip. exposcit. Cong. Ep. 22. Maij 1604. & 20. Febr. 1615. Ead. 15. Febr. 1593. cl. ne in agro, §. ſanè de ſtat. mõ. Trid. d. ſeſſ. 25. c. 10.*

§. 1. Cùm autem bis, aut ter in anno Confeſſarius extraordinarius à Nobis deputatur, Ordinarius pro audiendis Confeſſionibus non accedat; ſed Moniales omnes eidem Extraordinario confiteantur, quem non pro aliquibus determinatis perſonis, ſed pro toto Monaſterio deputari eadẽ S. Congregatio decreuit. *d. cap. 10.*

## CAP. V.

*d. ſeſſ. 25. c. 3. Conſt. Pij V. Incip. Paſtoralis.*

EX eiuſdem S. C. T. decreto ad Epiſcopos ſpectat numerum Monialium in vnoquoq; Monaſterio cõſtituere, habita ratione redituum, & conſuetę eleemoſynæ, quem augere non licebit, niſi ſufficiens annuorum redituum fieret acceſſio. Hunc igitur numerum taxare Nobis reſeruamus, quouſque maturo conſilio diſcuſſis reditibus, oneribus, & expenſis, ſtabili præfinitione præfigere poſſimus. Puellarum autem educandarum numerum quinque ad ſummum non excedere volumus, & declaramus, non enim plures ſeorsùm à Monialibus in hoc Monaſterio, nondùm perfecto, commodè retineri poſſunt, prout mandatum S. Congregationis expoſcit.

*Congr. Epiſc. in vna S. Seuerina 16. Ian. 1615.*

§. 1. Neque ſine licentia Eiuſdem S. Congregationis in ſcriptis, & aſſenſu noſtro, vel noſtrę Curiæ, ſeruatiſque alijs conditionibus, in huiuſmodi licentijs apponi ſolitis, Puella aliqua educationis cauſa recipiatur, & in actis noſtræ Cancellariæ regiſtretur, aliàs ſit nulla, & nullius roboris, vt eadem Congregatio præcipit.

*d. ſeſſ. 25. c. 17. Vid. Barboſ. de off. Epiſc. all. 100 n. 4.*

§. 2. In admittendis verò Virginibus ad habitum Regularem omnia, & ſingula, quæ ab eodem Tridentino, & eiuſdem Concilij, ac Epiſcoporũ, & Regularium Congregatione decreta, & declarata ſunt, omninò ſeruẽtur; ac præſertim Puella recipienda maior ſit duodecim annis, eiuſque voluntas exploretur, atque pro dote non aſſignẽtur

tur cenſus, nomina debitorum, aut ſtabilia, mobilia, vel ſe ſe mouentia, ſed pecunia numerata, & de depoſito facto penès tutam, diuitem, & legalem perſonam, à Nobis admittendam, & confirmandam, & ſe noſtræ Curiæ ſubmittentem, teſtimonium authenticum afferatur; & antè profeſſionē emiſſam pecunia huiuſmodi penès Procuratorem Monaſterij perſoluatur, qui ſtatim, ſecuta profeſſione, illam implicet in emptionem ſtabilium, vel annuorum cenſuum iuxta eiuſdem Cōgregationis decreta, noſtro tamē aſſenſu præcedente, vt cognoſcatur, an in beneficium Monaſterij emptio cedat. Interim autem pro tempore Nouitiatus per ſemeſtre anticipatum alimenta ſoluantur, & de alijs, anticipatè ſoluendis, cautio præſtetur, nec non ſuppellex neceſſaria Abbatiſſæ conſignetur. Neque Viduæ recipiantur, etiàm per aliquod tempus in Monaſterio permanſuræ, ſub Habitu Laicali, abſq; licentia S. Pontificis.

*Congr. Ep. 28. Martij. 1588.*

*ead. de an. 1581. & in Breu. Pau. V. de ann. 1615.*

*Ead. 13. Sept. 1583.*

*Ead. 29. Ian. 1585.*

§. 3. Neque duæ Sorores, niſi de noſtro cōſenſu, recipi poterunt, neque tertia Soror ſine licentia S. Cōgregationis. Tertia verò, cum huiuſmodi licentia admiſſa, nullam vocem actiuam, nec paſſiuam habebit in Capitulo, donec vna ex ſupradictis moriatur, ac duplum dotis deferre tenebitur. Quarta quoque Soror, ſi modo dicto in eodem Monaſterio recipi voluerit, triplum dotis ſoluere debebit, & ſuffragio prædicto carere; quod vtique piè, ac prudenter factum videtur ad

*Ead. 25. Maij. 1595.*

*Ead. 26. Aug. 1616.*

tollen-

tollendas diſſentiones, ac factiones, quæ aliàs nõ minùs facilè, quàm frequenter excitari poſſent, ſi in vno, eodemque Monaſterio in quocumq; numero Sorores liberè recipi permitteretur.

## CAP. VI.

Trid. d. ſeſſ. 25. c. 15. de regular.

Ibid cap. 17.

Ibid. cap. 16.

QVæ verò profeſſionem emiſſura eſt, maior ſit ſexdecim annis, alioquin nulla erit profeſſio; neque illam priùs emittat, quã eius voluntas à Nobis exploretur. Completo aũt Nouitiatu, omnes habiles, aptæque ad profeſſionem profiteri teneantur, aut pellantur è Monaſterio; quare præcipimus Abbatiſſæ, vt expleto tempore Nouitiatus, per Menſem antè profeſſionem iuxta Tridentini decretum, Nos certiores faciat ſub pœna ſuſpenſionis ab officio vſque ad noſtrum beneplacitum.

Ibid. cap. 17.

§. 1. Si quæ antè annum XVI. Nouitia moriatur, vel aliàs Profeſſionẽ nõ emiſerit, & è Monaſterio egrediatur; dos vt ſupra depoſitata cum omnibus ſuppellectibus, Nouitiæ, vel eius Conſanguineis, & hæredibus reſtituatur: Nam antè Profeſſionem nihil aliud, præter victum, & veſtitum quocumque prætextu à parentibus, vel propinquis, vel Curatoribus Nouitiæ Monaſterio ex eius bonis tribui, vel promitti poterit, nè hac occaſione diſcedere nequeat, quòd totã, vel maiorem partem ſubſtantiæ ſuæ Monaſterium poſſideat, nec facilè, ſi diſceſſerit, recuperare poſſet.

d. c. 16. & Cõgr. Epiſc. 15. Mar. 1580.

Neque

Neque ſi antè annum decimum ſextum expletum Nouitia moriatur, poterit in articulo mortis, etiã de conſenſu Monaſterij, profeſſionem emittere ad effectum, vt Monaſterium ſuccedat in dote, & bonis illius, prout S. Congregatio Epiſcoporum declarauit. 13. Nou. 1627.

§. 2. Nouerint autem omnes, excõmunicationis pœnam eo ipſo ab eodẽ Tridentino eſſe impoſitam contra cogentes aliquam Virginem, vel aliam quamcumque mulierem inuitam, præter caſus in iure expreſſos, ad Monaſterium ingrediendum, habitum Regularem ſuſcipiendũ, aut profeſſionem emittendam, & contra dantes conſilium, auxilium, vel fauorem, nec non cõtra ſciẽtes, aliquam non ſpontè ingredi, habitũ ſuſcipere, vel profiteri, & tamen eidẽ actui quoquo modo præſentiam, conſenſum, vel authoritatem interponunt, exceptis caſibus à iure permiſſis. Et ſimiliter ex aduerſo contra impedientes aliquã, ingredi volentem, habitum ſuſcipere, vel profeſſionem emittere. d. ſeſſ. 25. c. 18. Conc. Tolet. 4. c. 30. in fin.

## CAP. VIII.

CÆterùm Moniales bona omnia retineant ſub titulo Communitatis, & ad diſpoſitionem Abbatiſſę, à qua illis vtendi licentia concedetur ad tempus; ſi ſecus factum fuerit, Monialis tanquam proprietaria per biennium voce actiua, & paſſiua priuata exiſtat, vt in Tridentina d. ſeſſ. 25. c. 2.

tina Synodo cautum eſt. Procuratores autem, & Adminiſtratores Monialium anno quolibet coram Nobis, vel noſtris Rationalibus computa reddere teneantur, vel ſæpius, ſi Nobis expedire videbitur, vt in præcitata Gregorij XV. Conſtitutione.

*Incip. inſcrutabili.*

## CAP. VIII.

*ſup. tit. 13. c. 10. de caſib. reſeru. n. 4.*

DEnique excommunicationem, aliàs latam contra accedentes ad Monaſterium Monialium, vt cum eis alloquantur, & litteras, ſiuè internuntium de rebus obſcænis tranſmittentes, cõfirmamus, & innouamus. Declarãtes, quòd etiam Confeſſarius, ordinarius, & extraordinarius illam incurrent, ſi ſine licentia extra confeſſiones, & miniſtrationem Sacramentorum cum Monialibus alloquantur.

*Congr. Ep. 21. Febr. 1617.*

§. 1. Ad hæc mandamus, & præcipimus Monialibus ipſis, vt cum quibuſcumque, etiam Cõſanguineis in primo gradu, nunquam ad Ianuam Monaſterij colloquantur. Ianua verò non niſi ob iuſtam, & neceſſariam cauſam aperiatur, ſub pœna ſuſpenſionis ab officio quoad Abbatiſſam, & quoad Ianitrices vocis actiuæ, & paſſiuæ vſq; ad noſtrum beneplacitum. Quandò autem aperienda eſt, ſic aperiatur, vt quæ aperiunt Sorores ab ijs, qui foris ſunt, nequaquam videantur; neque aliæ iuxta Ianuam, præter Ianitrices, ſint, & tàm ad Portæ, quàm ad Rotæ cuſtodiam Ianitrices, atque Rotariæ ſemper aſſiſtant, quæ ex prudentiori-

Digitized by Google

tioribus,proue ęque ætatis Sororibus eligātur. Si quis abſq; legitima licētia ingredi auſus fuerit,cuiuſcumque ille ſexus,ætatis,vel conditionis exiſtat,cenſuras,& pœnas,in Tridentino Concilio,& in ApoſtolicisConſtitutionibus præcitatis contentas,ipſo iure incurret. Ingredientem verò cum licētia,& cauſa duæ ſaltem comitentur Moniales ex antiquioribus cum Abbatiſſa,& pro ſigno ingreſſus Campanula de more pulſetur, vt reliquæ Sorores aliquò ſe conferant,nè videātur. Seſſ. 25. c. 5.

§.2.Feneſtella inſuper, qua MonialesSanctiſſimam Euchariſtiam ſuſcipiunt,non niſi pro neceſſarijs functionibus aperiatur, ſtatimque,illis finitis,occludatur,& clauibus muniatur, quarum vna,portæ ſcilicet exterioris,ſit penès Confeſſarium ordinarium, qui per ſe ipſum ſemper aperiat,& claudat, altera portæ interioris ſit penès Abbatiſſam, quam denique hortamur in Domino,vt tanquam communis omnium mater,ipſarum Monialium & Corporis, & Animæ ſaluti diligentiſſimè conſulat;certòque ſciat, ſibi reddendam eſſe rationem apud Iuſtiſſimum Iudicem erratorum,quæcumq;eius negligentia,aut culpa Moniales admiſerint, earumque iacturam ſibimet imputari.

## TIT. XXIII.

### De Sacramento Matrimonij.

### CAP. I.

REmanet, vt de Sanĉto Matrimonij Sacraméto vltimo loco verba faciamus, quod conſtat in ipſo mundi exordio in naturę officium fuiſſe inſtitutum, & poſt Adæ lapſum in concupiſcentiæ remedium, ac tandem à Chriſto Domino in Sacramentum eleuatum, Animæ Fidelis ad Chriſtũ, nec non Chriſti, & Eccleſię coniunĉtionem, & Deitatis cum Humanitate vnionem deſignans.

*c. debitum extr. de bigam. cap. in Chriſto de conſecr diſt. 2. gloſſ. in c. acutius, diſt. 26.*

§. 1. Cum ergo tanta res ſit Matrimonium, nõ niſi Sanĉtè, ac Religioſè ſuſcipi, & traĉtari debet. Ideoque doceãtur Fideles à Parocho, vt ad illud accedant non vtique ſolius libidinis explendæ animo, neque diuitiarum cupiditate illeĉti, ſed tùm prolis ſuſcipiendæ gratia, & Chriſtianæ vitæ præceptis inſtituendæ, tùm etiam fornicationis vitandæ, & vt Coniuges alter alterius ope adiuti præſentis vitæ incommoda faciliùs ferre valeant. Præterea, nè huius Sacramenti gratię obex ponatur, Contraĉturos hortetur, vt ad illud celebrandum, vel ſaltem triduo antè conſumationẽ, peccatorum Confeſſione, ac Sacra Communione ſe præparent; Caueãtque à Carnali copula ante contraĉtum, alioquin à Cõfeſſarijs non abſoluẽtur, quã pœnã incurrant etiam Copula non ſecuta.

*Cath. Rom. eod. tit.*

*Trid. ſeſſ. 24. c. 1 de refor. matrim.*

*Vid ſupr. tit. 13. c. vlt de caſ. reſ. quib. non eſt annexa excom. n. 5.*

cuta, ſi cohabitatio ſit publica, vel Viſitationes frequentes, & ſcandaloſæ, præter pœnitentiam ſalutarem in foro conſcientiæ imponendam.

§. 2. Commoneantur quoque Cōtrahentes, vt quòad fieri poteſt, ſuis parentibus conſultis, & annuentibus Matrimonia ineant, prout de honeſtate conuenit. Parentes verò ipſi neque directè, neque indirectè ſuos filios compellant, nè Matrimonia liberè contrahant, ſub pœna excommunicationis, quam etiam Domini, & Magiſtrat us ipſo facto incurrent, ſuos Subditos pœnis, vel minis cogentes ad certa Matrimonia contrahenda. *c. cum locum de ſponſal. c cũ cauſa de raptor.* *Trid. d. ſeſſ. 24. c. 9.*

## CAP. II.

TEr idem Parochus tribus continuis Feſtis diebus inter Miſſarum Solemnia denũtiet, inter quos Matrimonium ſit contrahendum, ſaltem ſummariè impedimenta dirimentia populo enuntiãdo; poſtmodũ de denũtiationibus, nominibus, cognominibus, & patria contrahere volentiũ, deq; impedimẽtis, ſi quæ fuerint, fidẽ inſcriptis faciat. Si verò intra bimeſtre tẽpus, nec ipſe, vt fidem faciat rogatus fuerit, nec Matrimonium celebratum, denuntiationes denuò fiant, noua à Nobis, vel Vicario noſtrò habita facultate. *d. ſeſſ. 24 c. 1.* *Vbi Rebell. de oblig. iuſt p. 2. li. 4. in declarat. Cardinal ſect. 2. n. 8.*

§. 1. Cum autem ex aliqua rationabili cauſa fuerit diſpenſatum, vt omiſſis denuntiationibus, Matrimonium contrahatur, Parochus conſumationem Copulæ interdicat, antequam omiſſæ de- *Trid. eod. c. 1.*

 nun-

Digitized by Google

nuntiationes ſuppleantur, niſi aliud habuerit in mandatis; quòd ſi non omnes, ſed aliqua dictarũ denuntiationum veniet omittenda, tunc declaret populo, quòd illa prima, vel ſecunda ſit vltima, vt poſſint impedimenta reuelari; qua etiam ratione non vltima die denuntiationum Matrimonium contrahatur, quia adhuc durat terminus reuelandi, niſi anguſtia temporis obſtet, & tunc ſaltem circa Veſperam contrahatur.

*Vid. Barboſ. de offi. Curati p. 2. c. 21. n. 23.*

§. 2. Si quis malitioſè falſa impedimenta reuelare præſumpſerit, in excommunicationem latæ ſententiæ ſe nouerit incurſurum, cuius abſolutionem Nobis tantum reſeruamus. Declarantes, in eãdem excommunicationem incidere, qui de facto, & non Seruatis requiſitis Sacri Tridentini Concilij, vocatiſque Parocho, & Teſtibus ad aliũ ementitum finem, coram eiſdem ſuum conſensũ expreſſerint, & Matrimonium de præſenti contraxerint, ac etiam qui ad id auxilium, aut conſilium præſtauerint, nec non qui Sponſalia mutuo conſenſu de futuro contracta, de facto diſſoluere, & cum alijs contrahere auſi fuerint, abſque legitima cauſa, per Nos, & Noſtram Curiam cognoſcenda, & declaranda.

*Vid. eund. Barb. de offi. Ep. p. 2. All. 32. n. 84.*

## CAP. III.

*c. nõ debet. verſ. prohibitio de cõſ. & affin.*

NEminem verò fugere debet, prohibitionẽ copulæ Coniugalis quartum Conſanguinitatis, & Affinatis gradum non excedere, prout iure

iure cautum eſt. Quamuis autem quarto, in quinto gradu coniunctis, nullum reſtet impedimentum, quia remotior gradus attenditur, nihilominus à noſtra Curia, prout de ſtylo, petēda erit declaratio. Impedimentum, quod propter Affinitatem, ex fornicatione contractum, inducitur, Matrimonium poſtea factum dirimens, ſecundũ gradum non excedit: Iuſtitiæ verò publicæ honeſtatis vltra primum non extenditur iuxta Tridentini definitionem, & Pij PP. V. Conſtitutionem. Quòd ſi huiuſmodi honeſtatis impedimentum non ex Sponſalibus, ſed ex Matrimonio rato, quãuis nondùm conſumato, prouenerit, iuxta ius cõmune, & aliam eiuſdem Pij Conſtitutionem ad quartum vſque gradum protrahitur. Impedimẽtum quoque iuris aſſequi in ſecũdo, & tertio genere affinitatis, nouo iure Pontificio ſublatum eſt. Ac demùm quibus in gradibus impedimentum ex Baptiſmo, & Confirmatione oriatur, ex eodem Tridentino, vbi de his Sacramentis egimus, declaratum eſt, & extat alia Pij V. Conſtitutio, nullum impedimentum ſubeſſe decernens inter Maritum, & Vxorem ſuſcipientis, & Baptizatum, Baptizatique Patrem, aut Matrem, quominùs Matrimonium contrahere poſſint.

*Trid. d. ſeſſ. 24. c. 4.*

*d. ſeſſ. 24. c. 3. Incip. Sanctiſſimus in Chriſto Pater.*

*Incip. ad Romanum.*

*d. c. non debet.*

*d. ſeſſ. 24. c. 2. ſup tit. 9. & 10. Incip. Cũ illius vicem.*

## CAP. IV.

MAtrimonium ſemper in facie Eccleſiæ cõtrahatur, niſi legitimum adſit impedimen-

*d. ſeſſ. 24. c. 1.*

men-

Digitized by Google

mentum, & Eccleſiaſticus Ritus, atque antiqua huius Eccleſiæ Conſuetudo ſeruetur, hoc eſt in ipſa Cathedrali, & non alibi abſque Noſtra expreſſa licentia, coram Parocho, & duobus, vel tribus Teſtibus, iuxta Tridentini prǫſcriptum. Habeatq; Parochus librum, in quo nomina, cognomina, patriam, diem, & locum contracti Matrimonij deſcribat, & de atteſtationibus noſtrǫ, vel alterius Curiæ ſuper libero ſtatu contrahentium mentionem faciat, & tàm librum, quàm reſcripta eiuſdem Curiæ diligenter apud ſe cuſtodiat, prout in Viſitationibus præceptum eſt.

*ſup tit.8.c.5.*

*Trid. d c.1. & Rit. Rom. eo. tit.*

## CAP. V.

*d. cap 1.*

BEnedictio quoq; Sacerdotalis, quæ de iure ad Parochum ſpectat, & de Conſuetudine ad Canonicos noſtræ Cathedralis, non niſi de Noſtra, vel Vicarij noſtri licentia, vel eiuſdem Parochi fiat in eadē Cathedrali, vel in alia Eccleſia, ſi id Nobis expedire videbitur; nunquam verò in Eccleſia Monialium, vel extra Miſſam, quod Congregatio Concilij prohibuit.

*3. Iul. 1630.*

§. 1. Hortetur autem Parochus contrahentes, vt antè benedictionem ſimul non cohabitent, prout idem Tridentinum monuit; Et à benedictione ſecundarum Nuptiarum abſtineat ſub pœna à Sacris Canonibus comminata; Virginem tamen ſponſam, vel nondum benedictam iuxta Conſuetudinem benedicat.

*d. cap. 1. c. vir autem de ſec. nupt. c. 1 eo. tit. S. Thom in 4. diſt. 42. q 3. in fin.*

§. 2. Quo-

§.2. Quoniam verò Noſtris eſt auribus intimatum, quòd non pauci, qui Matrimonia poſt meridiem contrahere ſolent, huiuſmodi benedictionem poſtea recipere minimè curãt, vel adeò differunt, vt Eccesiaſticorũ Rituum contemptores manifeſtè videantur; ſtatuimus, vt Matrimonia de mane, & orto iam Sole celebrentur, non autem à prandio abſqueNoſtra ſpeciali licentia; Vtque Sponſi poſt contractum Matrimonium intra quatuor menſes ad ſummum talem benedictionem recipere non omittant, aliàs à Confeſſarijs non abſoluantur; quod decretum à Parocho taliter, vt ſupra contrahentibus notificari præcipimus, & mandamus.

## CAP. VI.

AB Aduentu vſque ad Epiphaniam, & à Feria IV. Cinerum vſque ad octauam Paſchatis incluſiuè antiquas ſolemnium Nuptiarum prohibitiones diligenter ab omnibus obſeruari volumus. Prohibentur autem dictis temporibus ſolemnis benedictio Coniugũ, & traductio Sponſę cum Choreis, Muſicis, Conuiuijs, alijsque ſolemnitatibus, nec non & Carnalis copula, vt eiuſdem Concilij Congregatio declarauit; ſed ſuper hoc vltimo propter humana pericula facilè poterit diſpenſari.

*Trid. d. ſeſſ. 24. c. 10.*

*ſup d. c. 10. 31. Maij 1597.*

CAP.

## CAP. VII.

*Inſt. de nupt. in princ. & quibus mod. tut. fin. §. pubertatem. c. puberes, & c. de illis extr. de ſponſal. impub. ſup. tit. 1. c. 4. §. 2. Vid. Ricc. in prax. var. diſt. 638. Vbi ponit declarat. S. Congr. Episc. Trid. d. ſeſſ. 24. c. 7.*

PErſonis etiam quibuſdam Matrimonia de præſenti contrahere prohibetur, nempè in legitima ætate non conſtitutis, quæ erit quatuordecim annorum completorũ in Maſculis, & duodecim in Fœminis, niſi malitia ſuppleat ætatem, nec deſit potentia còeundi. Ignorantes quoque Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, Præcepta Decalogi, ac Fidei Myſteria, Nobis inconſultis, ad Matrimonium non admittantur: Non quod propter huiuſmodi impedimentum, illos à Matrimonio contrahendo arcere intendamus, ſed vt coràm Paſtoris vocem audiant, & mandata recipiant. Item nec vagi, ac certa Sede carentes, quippè qui frequenter per fraudem multas diuerſis in locis Vxores ducere tentant, Matrimonio copulentur, niſi eos ſolutos, & à Catholica Fide non alienos eſſe conſtiterit. Nec Viduis, quorum Coniuges in remotis regionibus obijſſe dicantur, ad ſecunda vota tranſitus concedatur, donec de prioris Coniugis obitu certò conſtare fecerint.

*c. ſi quis 34. q. vltim.*

## CAP. VIII.

*Vid. Poſſeuin. de offic. Cur. c. 12. n. 7.*

CVm autem ſoleant nonnulli perditi homines ſecum à remotis regionibus mulierculas quaſdam adducere, quas ſuas Vxores eſſe cõfingunt, & Concubinæ ſunt; huic malo occurrere volentes, præcipimus Parocho, vt protinus ab

eiſdem

Digitized by Google

eiſdem exquirat atteſtationes authẽticas de veritate aſſertionis, ab Ordinario loci, vnde diſceſſerunt, legalizatas, alioquin non admittat, & ad Nos illicò referat. *Vid. Poſſeuin. loc. cit. n. 5.*

§. 1. Inſuper vt quæcumque Magno huic Sacramento iniuriam faciunt, prorſus eradicentur, idem Parochus omni diligentia inuigilet contra Cõcubinarios, tã Ciues, quã Exteros in hac Ciuitate degẽtes, et ſi quos eſſe cõpererit, eos perinde ac pater filios moneat, vt Concubinas eijciãt, et ſi quidem Matrimonio coniuncti fuerint, in eo Sãctè, vt par eſt, viuant; ſin minùs, qui continere nolunt, nubant in Domino, vt ſi perfectiora non attingunt, ſaltem conceſſo Matrimonio vtantur. Qui verò moniti non paruerint, Nobis denuntiẽtur, vt iuxta Tridentini Sanctionem, anathemate, alijſq; Canonicis pœnis ſeuerè puniantur. *1. Cor. 7.* *d. ſeſſ. 24. c. 8. & c. ſi qui. 34. diſt.*

## CAP. IX.

CONiuges poſt contractum matrimonium de præſenti (quod perpetuum, & inſeparabile Chriſtus Dominus eſſe oſtendit, dicens: quod Deus coniunxit, homo non ſeparet) nullatenus propria authoritate, & ſine mutuo conſenſu, iuxta præceptum Apoſtoli, ab inuicem, etiam quoad thorum, & habitationem ſeparare ſe audeant, abſq; decreto noſtræ Curiæ, quæ de legitimitate cauſæ iudicabit; alioquin cohabitare reſpuens Cõiux excommunicationis pœnam ſubibit, *Matth. 19.* *c. porro de diuort.*

c. 1. de matr. con-tr. cont. interd. Eccl.

bit, nec abſoluetur, niſi mandatis Noſtris in omnibus obtemperauerit.

ſup tit. 6 cap. 1. §. 1.

§. 1. Vtque etiam ijs, quæ hominum vitio in ipſa Matrimonia irrepſere, quantùm in Nobis eſt, occurramus, decretum aliàs latum contra adhibentes veneficia, faſcinationes, ligaturas, incãtationes, & alia huiuſmodi maleficia ad nuptias procurandas, vel impediendas, vel Coniuges impotentes ad cöeundum reddendos, ſiuè amorem, vel odium inter ipſos excitandum, confirmantes, excommunicationis ipſo facto incurrendæ pœnam extendimus, etiam in eos, qui circa prædicta auxilium, conſiliumuè præbuerint.

## CAP. X.

QVia verò Contractum Matrimonium indiſſolubile eſſe debet, vt prædiximus, ideò antè quam contrahatur ad euitandum damnabile crimen Poligamiæ, & nè alter Coniux cum alterius dedecore ad primum Cõiugem redire cogatur, non ſolùm ea, quæ Sacroſancta Tridẽtina Synodus ſtatuit obſeruari præcipimus, ſed etiam, qui circa probationem liberi ſtatus cõntrahere volentium S. Congregatio Sancti Officij, & Supremæ Inquiſitionis obſeruari mandauit in formatione proceſſus, prout in Inſtructionibus nuper habitis, quarum tenor eſt, vt ſequitur.

Cũ litteris Emi-nentiſſ. D. Card. Barberini 1. Maii 1659.

INSTRV-

Digitized by Google

## INSTRVCTIO

### *Pro examine illorum Teſtium, qui inducuntur pro contrahendis Matrimonijs, tàm in Curia pro Eminentiſsimi, & Reuerendiſsimi D. Card. Vrbis Vicarij, quàm in alijs Curijs cæterorum Ordinariorum.*

IN primis Teſtis moneatur de grauitate iuramenti, in hoc præſertim negotio pertimeſcēdi, in quo Diuina ſimul, & humana Maieſtas læditur, ob rei, de qua tractatur, importantiam, & grauitatem; & quod imminet pœna triremium, & fuſtigationis Deponenti falſum.

2 Interrogetur de nomine, cognomine, patria, ætate, exercitio, & habitatione.

3 An ſit Ciuis, vel Exterus, & quatenus ſit Exterus, à quanto tempore eſt in loco, in quo Teſtis ipſe deponit.

4 An ad examen acceſſerit ſpōtè, vel requiſitus; ſi dixerit, aceſſiſſe ſpontè à nemine requiſitum, dimittatur, quia præſumitur mendax; ſi verò dixerit acceſſiſſe requiſitum, Interrogetur à quo, vel à quibus, vbi, quando, quomodo, coram quibus, & quoties fuerit requiſitus, & an ſciat adeſſe aliquod impedimentum inter contrahere volentes.

5 Interrogetur, An ſibi pro hoc teſtimonio ferēdo fuerit aliquid datū, promiſſū, remiſſū, vel oblatū à cōtrahere volētibus, vel ab alio ipſorū nomine.

6 Interrogetur, An cognoſcat ipſos cõtrahere volentes, & à quanto tempore, in quo loco, qua occaſione, & cuius qualitatis, vel conditionis exiſtant. Si reſponderit negatiuè, Teſtis dimittatur; ſi verò affirmatiuè,

7 Interrogetur, An contrahere volentes ſint Ciues, vel Exteri; ſi reſponderit, eſſe Exteros,

8 Interrogetur, à quanto tempore acceſſerint ad Vrbem, vel ad illum locum, in quo examinantur, vndè venerint, & an venerint inſimul, vel ſeparatim.

Si reſponderit, veniſſe de recenti, vel inſimul, ſuperſedeatur in licentia contrahendi, donec per litteras eorum Ordinarij, ac loci, à quo contrahẽtes receſſerunt, doceatur, inter contrahentes non adeſſe impedimentũ, & mulierẽ non eſſe raptam.

Si verò reſponderit, veniſſe à multo tempore citra, vel contrahentes eſſe Ciues.

9 Interrogetur, ſub qua Parochia hactenùs contrahere volentes habitarunt, vel habitent de pręſenti.

Item an ipſe Teſtis ſciat, aliquem ex prædictis contrahere volentibus, quandoq; habuiſſe Vxorem, vel Maritum.

Si reſponderit affirmatiuè, non procedatur ad licentiam, niſi producantur authenticę, & lęgales atteſtationes, vel Teſtes fide digni, & veriſimiliter informati de obitu Coniugis defuncti.

Si verò Teſtis reſponderit, nõ habuiſſe Vxorẽ, vel Maritum.

10 In-

10 Interrogetur de Cauſa Scientiæ,& an ſit poſſibile,quòd aliquis ex illis habuerit Vxorem, vel Maritum,& quod ipſe Teſtis neſciat.

Si reſponderit affirmatiuè,ſuperſedeatur, niſi ex alijs Teſtibus probetur concludenter,non habuiſſe Vxorem,vel Maritum.

Si verò reſponderit negatiuè.

11 Interrogetur de Cauſa Scientiæ,ex qua deindè Iudex colligere poterit, an Teſti ſit danda fides.

Si reſponderit,contrahentes habuiſſe Vxorē, vel Maritum,ſed eſſe mortuos.

12 Interrogetur de loco, & tempore, quo ſunt mortui, & quomodo ipſe Teſtis ſciat, eſſe mortuos. Et ſi reſpondeat,mortuos fuiſſe in aliquo Hoſpitali, vel vidiſſe ſepeliri in certa Eccleſia,vel occaſione Militiæ ſepultos fuiſſe à Militibus,non detur licentia contrahendi,niſi priùs recepto teſtimonio authentico à Rectore Hoſpitalis,in quo prædicti deceſſerunt,vel à Rectore Eccleſiæ,in qua humata fuerũt eorũ Cadauera,vel ſi fieri poteſt,à Duce illius cohortis,in qua deſcriptus erat Miles.

13 Interrogetur,An poſt mortem dicti Cõiugis defuncti aliquis ex prædictis contrahere volentibus tranſierit ad ſecunda vota.

Si reſponderit negatiuè.

14 Interrogetur,An eſſe poſſit,quòd aliquis ex illis trãſierit ad ſecũda vota abſq;eo,quòd ipſe Teſtis ſciat.

Si

Si reſpõderit affirmatiuè,ſuperſedeatur in licentia,donec producantur Teſtes; per quos negatiua coarctetur concludenter.

Si verò negatiuè,

15 Interrogetur de Cauſa Sciẽtiæ,qua perpenſa, Iudex poterit iudicare, an ſit concedenda licentia,vel nè.

Si Contrahentes ſunt vagi,non procedatur ad licentiam contrahendi, niſi doceant per fidem Ordinariorum ſuorum eſſe liberos, & in alijs, ſeruata forma Concilij Tridentini in cap.Multi Seſſ.24.

Fides,aliaque documẽta, quæ producuntur de partibus,non admittantur, niſi ſint munita ſigillo,& Legalitate Epiſcopi Ordinarij,& recognita ſaltem perTeſtes,qui habeant notam manum, & Sigillum,& attentè conſideretur,quòd fides, ſeù teſtimonia benè,& concludenter identificet perſonas,de quibus agitur.

Pro Teſtibus in hac materia recipiãtur magis conſanguinei, quàm extranei; quia præſumuntur meliùs informati, & Ciues magis,quàm Exteri, nec admittãtur homines vagi,& Milites,niſi data cauſa,& maturo conſilio; Et Notarius exactè deſcribat perſonam Teſtis,quẽ ſi cognoſcit, vtatur clauſula,Mihi benè cognitus:tùm minùs, examen non recipiat, niſi vnà cum perſona Teſtis aliqua alia compareat cognita Notario, & quæ atteſtetur de nomine,& cognomine ipſius Teſtis.

Et

Digitized by Google

Et huiuſmodi examinibus debet intereſſe in Vrbe vltra Notarium Officialis, ſpecialiter deputãdus ab Eminentiſſimo Vicario: & extra Vrbem, vel Vicarius Epiſcopi, vel aliqua alia perſona inſignis, & idonea, ab Epiſcopo ſpecialiter deputanda; aliàs puniatur Notarius arbitrio S. Congregationis, & Ordinarius non permittat fieri publicationes.

Ordinarij præcipiant omnibus, & ſingulis Parochis, in eorum Diœceſibus exiſtentibus, vt pro Matrimonijs cum Exteris contrahendis non faciant publicationes in eorum Eccleſijs, niſi certiorato Ordinario, à quo, vel eius Generali Vicario priùs teneantur authenticam reportare, quòd pro tali Matrimonio fuerunt examinati Teſtes in eorum Tribunali, qui probant ſtatum liberum contrahere volentium, &c.

Contrauenientes autem ſeuerè punientur.

*TIT.*

Digitized by Google

## TIT. XXIV.

### *De Iudiciali Epiſcopi foro, Officialibus Curiæ, & Pandectis Emolumentorum.*

### CAP. I.

POſtquam de ijs, quæ ad Dei cultum, Sacramentorum adminiſtrationem, & internum conſcientiæ forum pertinent, ſatis hucuſq; diſſeruimus, Conſequens eſt, vt de externo, ac Iudiciali foro aliqua ſubnectamus.

§. 1. Sanè primus noſtræ Curiæ Miniſter, & Officialis eſt noſter Generalis Vicarius, qui cauſas omnes, tàm Ciuiles quàm Criminales, & Mixtas cognoſcit, iudicat, & exequitur; Cuius Iuriſdictio, tàm in Spiritualibus, quàm in Temporalibus, etiam ad ea, quæ ſpeciale mandatum requirunt, extenditur, prout in litteris patentibus deſuper expeditis: & regulariter omnia poteſt, quæ Nos ipſi poſſumus: Noſtras enim gerit vices, & vnum, & idem nobiſcum Conciſtorium facit, atque Tribunal. Ipſum itaque hortamur, vt quanta poterit breuitate criminum cauſas expediat, etenim quia non profertur citò contra malos ſentẽtia, abſque timore vllo filij hominum perpatrant mala. Et litibus, præciſis calumniantium dilationibus, finem imponat: Scriptum eſt enim, Noli quęrere fieri Iudex, niſi valeas virtute irrumpere iniquitates. Ita tamen, vt nec præcipitanter ſubitas ſententias proferat, ſed, deliberatione habita,

*D D. in c. fin. de offi. Vic. in 6. & in l. 1. C. de offic. Vicar.*

*Eccleſ c. 8.*

*l. properandum, C. de Iud.*

*Eccleſ. c. 7.*

*l. Iudices, C. de Iud.*

&

& rei qualitate plena inquiſitione diſcuſſa, ex periculo recitet, quia ſententiæ, ſicut medicinæ, cũ periculo dantur, & recipiuntur. Pupillis, Viduis, & humilibus iudicet, vt à Potentibus non opprimantur; neque fauore, vel odio ad dexteram, neque ad ſiniſtram declinet, ſed per rectas Iuſtitiæ ſemitas currat, & ſic non habebit offendiculum. Neque ad munera manus extendat: nam in eorũ manibus iniquitates ſunt, quorum dextera repleta eſt muneribus; Neque ſontẽ liberet, vel innocentem puniat, ſed cuncta in veritate, & ęquitate cum integritate, & prudentia faciat, quia ſtatera doloſa abominatio eſt apud Dominum, & pondus æquum voluntas eius; ac rurſus, qui iuſtificat impium, & qui condemnat iuſtum, abominabilis eſt vterque apud Deum; Nihilque tam perniciosũm Reipublicæ contingere poteſt, quã prauos, & indiſcretos habere Iudices.

*l.2.C.de ſent. ex peric.recit.* *Pſalm 9.* *Prou 3.* *Pſalm.22.* *Prou.3.* *Pſalm.25.* *Prou.11.* *Prou.17.*

§.2. Super omnia autẽ terribili illo Excommunicationis gladio, quo nullum ſæuius ab ipſa Eccleſia ſupplicium in ſuos rebelles reperiri potuit, nullo pacto abutatur, ſed ad terrorem, nõ ad deſtructionem exerceat; etenim Medicinalis eſt excommunicatio, non mortalis, diſciplinans, non eradicans; vnde Apoſtolus: Iudicauit tradere huiuſmodi hominem Sathanæ in interitũ carnis, vt Spiritus eſt, ſaluus ſit in die Domini. Ac demùm ſciat, eius arbitrio parum, aut nihil eſſe delatum, cum arbitrium quoque à legibus, ſaltẽ per ſimili-

*Trid.ſeſſ.25.c.3 de reform.* *c.cum medicinalis de ſent. excõ. in 6.* *1.Cor.15.* *Vid. Scacc. de ſent. & re iud. gl.14.c.23.n.9. & 10.*



Digitized by Google

tudinem ſit regulandum, & raro, vel nunquã gratificationi locus relinquatur, itaut contraria opinio à Summiſtis, qui eorum Doctrinis Animarum ſaluti conſulunt, tãquam periculoſa reprobetur.

*Vid. Nau. in c. 4. ſi quis, nu. 13. L. diſt. 7. tit. 1.*

## CAP. II.

PRomotor Fiſcalis pari fidelitate, ac diligentia ſuum munus exequatur. Iura Fiſci Epiſcopalis proponat, tueatur, atq; promoueat, proceſſus etiam informatiuos videat, citationes expediendas petat, & contumacias Criminales incuſandas; Inſtet pro condemnatione pœnarum, illaſq; exequi curet; Carceres viſitet, aliaq; faciat, in eius litteris commiſſionalibus comprehenſa.

## CAP. III.

CAuſarum quoque Notario, Actuario, ſeù Cancellario, qui & Archiuiarius, cui alij ſubſunt Scribæ de Noſtra licentia adhibẽdi, præcipimus, vt informationes, proceſſus, & acta quæcumque benè conſuta cum titulis in frontiſpicio, & paginibus per Abacum notatis, penès ſe ſub tutis Clauibus in Archiuio noſtræ Curiæ retineat benè diſpoſita, vt faciliùs inueniantur, & ad præſcriptum Conſtitutionis Pij PP. V. Inuentarium Actorum Criminalium conficiat; nec non Ciuilium, Matrimonialium, & Beneficialium, prout in Viſitationibus fuit mandatum. Secreta cauſarum nemini pandat: Denuntiationes verò habitæ in cauſis ad Tribunal Sancti Officij Supremæ Inquiſitionis ſpectantibus, & Teſtium depoſitiones

*Incip. Muneris noſtri.*

ſub

ſub ſilentio ſeruentur ab omnibus noſtræ Curiæ Miniſtris,& Collegis aſſumptis,ac etiam ab ipſimet Teſtibus ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ,abſolutione Nobis reſeruata.

§. 1. Præterea libros habeat,in quibus Ordinationes,& dimiſſoriȩ ad Ordines regiſtrentur,Bullæ Beneficiorum, & Canonicatuum, Erectionum Eccleſiarum,Monaſteriorum, Cõfraternitatum, Sodalitiorum,Oratoriorum,& ſimilium. Patentes etiam omnes,& licentiæ Confeſſariorum,Cõcionatorũ,Magiſtrorũ,Clericorum extra Diœceſim proficiſcentiũ,Exactorũ eleemoſynarũ,Regularium ad Monaſterium Monialiũ accedentiũ, & aliæ huiuſmodi.Profeſſiones item Monialium,Fidei Profeſſiones,ac demùm Conſtitutiones, Ordinationes, & edicta, quæ in dies contigerit publicari.

## *CAP. IV.*

SAcrorum Canonum, & Sacroſancti Tridentini Concilij decretis inhærentes,hac noſtra Synodali Conſtitutione mandamus, vt omnia præcepta,& litteræ Noſtræ, ſeù Vicarij Noſtri,quæ dabuntur,aut mittentur ad defenſionem Eccleſiaſticæ Immunitatis, & libertatis, ac Noſtræ Iuriſdictionis,vt par eſt, ab omnibus recipiantur,obſeruentur, & executioni mandentur; qui ſecùs egerint,pœnis aduerſus violatores, & perturbatores Immunitatis,libertatis,& Iuriſdictionis Eccleſiaſticȩ conſtitutis ſubiaceant,& puniantur.

*Seſſ. 25. c. 20. de reform.*

*Bull. Cœn. Domin. §. 16.*

 §. 1. Quan-

Digitized by Google

*c. nouit. de iudic. l. conſulta diua-lia. C. de teſtam. c. fin. 90. diſt. var. epiſt. 3.*

§. 1. Quandoquidem vna Iuriſdictio aliam impedire non debet, ſed vna aliam iuuare tenetur, & ſibi inuicem auxilium præſtare, vt quemadmodum Caſſiodorus ſcribit, robuſtiùs peragatur officium, quod duorum eſt Societate complendum. Et Gelaſius Pontifex Anaſtaſio Imperatori, duo ſunt, inquit, quibus principaliter hic Mũdus regitur, Authoritas Sacra Pontificum, & Regalis poteſtas, in quibus tantò grauiùs eſt pondus Sacerdotum, quantò etiam pro ipſis Regiminibus hominum in diuino ſunt reddituri examine rationem.

*c. duo ſunt 96. diſt.*

*C A P. V.*

*1. Tim. 6. 1. Cor. 9.*

POſtremò nè Auaritia, quæ eſt omnium malorum radix, Iudicia prorſus euertat, neque Operarij qua digni ſunt mercede pro opere, & officio, defraudentur, præcipimus, & mandamus, vt communis, & certa emolumẽtorum taxa, iamdiù ab Illuſtriſſimis Prædeceſſoribus Noſtris approbata, & inferiùs inſerenda, omninò ſeruetur; quam qui exceſſerit, priuatione officij, vel alia pro arbitrio Noſtro pœna mulctabitur.

*TABELLA EMOLVMENTORVM Exigendorum, & Obſeruandorum per Notarios Curiæ Epiſcopalis Gallipolitanæ, à ſuo originali antiquo extracta.*

IN primis Pro quolibet mandato iuſtificato. d. 0. 0. 10.

Pro

Pro pręſẽtata cuiuslibet petitionis. d. o. o. 3.

Pro copia mandati iuſtificati, ſeù petitionis. d. o. o. 5.

Pro pręſentata ſcripturarum publicarum. d. o. o. 5.

Pro copia Inſtrumenti publici relinquenda in actis. d. o. 1. 10.

Pro qualibet carta in forma originali pro copijs. d. o. o. 7.

Pro præſentata Procurationis, etiam in forma publica. d. o. o. 5.

Pro qualibet procuratione, ſeù ſubſtitutione. d. o. o. 5.

Pro qualibet prouiſione citationis cũ inſerto tenore petitionis. d. o. o. 10.

Pro prima, & vltima contumacia. d. o. o. 8.

Pro citatione ad conteſtandũ litẽ. d. o. o. 10.

Pro citatione ad conſtituendum Procuratorem. d. o. o. 5.

Pro decreto publicationis. d. o. 1. o.

Pro decreto Concluſionis. d. o. 1. o.

Pro citatione ad dicendum, & ad ſententiam. d. o. o. 10.

Pro qualibet relatione Nuntij. d. o. o. 3.

Pro præſentata Articulorum, ſeù Interrogatoriorũ in cauſa Ciuili, vel Criminali. d. o. 1. o.

Pro citatione ad Teſtes. d. o. o. 10.

Pro declaratione circa vſum. d. o. o. 10.

Pro

| | | |
|---|---|---|
| Pro examine cuiuslibet Teſtis in cauſa Ciuili, ſeù Criminali, ſi examen non excedit paginam vnam in forma originali. | d. | o. o. 10. |
| Si tamen excedit ad rationem granorum quinq; pro qualibet pagina. | d. | o. o. 5. |
| Pro examine principalis abſque aliqua diſtinctione. | d. | o. o. 10. |
| Pro Copia tàm examinum, quàm totius proceſſus, ſeù partis ipſius ſoluitur ad rationem granorum quinque pro qualibet pagina. | d. | o. o. 5. |
| Pro quolibet decreto Interlocutorio. | d. | o. 1. o. |
| Pro lecto lato cuiuslibet decreti Interlocutorij. | d. | o. o. 10. |
| Pro copia cuiuslibet decreti interlocutorij. | d. | o. o. 10. |
| Pro qualibet obligatione ciuili penès acta in Banca. | d. | o. o. 5. |
| Pro qualibet obligatione Ciuili extra Bancam. | d. | o. o. 10. |
| Pro qualibet fideiuſſione. | d. | o. 1. 10. |
| Pro ſententijs diffinitiuis, ſeù vim diffinitiuæ habẽtibus ſoluatur Illuſtriſſimo, & Reuerendiſſimo Dño Epiſcopo ius trigeſimæ. | d. | |

Pro ſententijs autem prouenientibus ex proceſſu non continente quantitatem pecuniarum, aut in cauſis Matri-

trimonialibus, cauſis abſolutionũ à Iuramẽto,&periurio incurſo in cõtradictorio, Inſtitutionis,ac beneficij ad præſentationẽ,portionem,& ſimilibus taxatur ius trigeſimæ arbitrio dicti Illuſtriſſimi,&Reuerẽdiſſimi Dñi Epiſcopi, habito reſpectu ad laborẽ,& importantiã cauſæ, & depoſitetur penès Notarium.

Pro mandato de parẽdo cuiuslibet decreti,& ſententiæ. d. 0. 1. 0.

Pro copia ſententiæ, ſeù decreti diffinitiui. d. 0. 1. 0.

Pro decreto abſolutorio in cauſa Criminali,ſi titulus cauſæ meretur pœnam à depoſitione infra Domino Vicario carolenos quinque, ſi verò à depoſitione incluſiuè ducatũ vnũ, & Notario indifferenter tarenos duos. d.

Pro copia dicti decreti abſolutorij in Criminalibus. d. 0. 1. 10.

Pro viſura cuiuslibet proceſſus. d. 0. 1. 0.

Pro viſura examinum poſt publicationẽ, ad rationem granorum quinq; per qualibet pagina. d.

Pro præſentata appellationis. d. 0. 0. 10.

Pro Apoſtolis quibuſcumq; tarenum vnum. d. 0. 1. 0.

In

In cauſis criminalibus, quando Inquiſitus componitur, ſeù remittitur, teneatur ſoluere Notario laborem pro Informatione capta, nempè granos decem pro quolibet Teſte examinato per Curiam. d.

Pro quolibet laudo cum inſertione actorum. d. 1.

Pro qualibet licentia, quòd fiant monitiones. d. 0. 0. 5.

Pro qualibet monitione. d. 0. 2. 10.

Pro examinandis Teſtibus ad reuelationem granos decem pro quolibet. d. 0. 0. 10.

Pro copia cuiuslibet Teſtis ad reuelationem. d. 0. 0. 5.

Pro Excommunicatione ad reuelationem Notario. d. 0. 2. 0.

Pro decreto abſolutionis ab Excõmunicatione. d. 0. 2. 10.

Pro licentia, ſeù commiſſione abſoluẽdi aliquem ab Excõmunicatione. d. 0. 1. 10.

Pro Excommunicatione authoritate Apoſtolica Notario in totum ducatum vnum. d. 1.

Pro examine Teſtium, ſiuè approbatione pro illis admittendis ad Matrimonium Notario granos quinq; pro quolibet. d.

Pro

Pro decreto admiſſionis prædicto Notario. d. o. 1. 10.

Pro fide approbationis alicuius Diœceſis Vicarij extra Diœceſim admittatur ad Matrimoniũ Notario. d. o. 1. o.

Pro diſpẽſationibus matrimonialibus ex Commiſſione Apoſtolica, tàm pro præſentata Bullæ, quàm Comparitionum, decreti, & litterarum diſpenſationalium expediendarum, & pro toto negotio Notario ſoluãtur caroleni viginti. d. 2.

Pro decreto, quòd exequatur. d. o. 2. o.

Pro executione ex primo decreto. d. o. 2. 10.

Pro executione ſententiæ, ſeù decreti diffinitiui, obligationis iuratæ pro ducatis viginti infra, carolenos tres, & pro ducatis viginti ſupra pro quacumque ſumma, carolenos ſex; Domino Vicario nihil. d. o. 3. o.

Pro executione, ſeù Captura rerum ſtabilium vigore litterarum executorialium, Notario tarenos duos intra Ciuitatem, extra verò duplum. d. o. 4. o.

Pro pœna accuſanda vigore obligationis liquidæ ad rationem carolenorũ quatuor pro qualibet vncia. d. o. 2. o.

Et ſimiliter intelligatur de Inſtrumẽtis pro pœna ꝑdicta ad rationẽ, vt ſup. d. o. 2. o.



Digitized by Google

| | | |
|---|---|---|
| Pro qualibet Empara contra Carceratos. | d. | 0.0.10. |
| Pro mandato ad reluendum. | d. | 0.0.10. |
| Pro licentia de vendendo ſoluatur Notario, ſicut de litteris executorialibus. | d. | 0.3. 0. |
| Pro quolibet banno de bonis, vt ſupra vendendis. | d. | 0.0. 5. |
| Pro expiratione bonorum ſubhaſtatorum. | d. | 0.1. 0. |
| Pro perquiſitione Proceſſus à biennio ſupra vſq; ad quinquennium. | d. | 0.2. 0. |
| A biennio verò ſupra vſq; ad quoduis tempus. | d. | 0.3. 0. |
| Pro acceſſu Notarij extra Ciuitatem, pro qualibet dieta carolenos nouẽ cum expenſis, vel ducatum vnum ſine expenſis. | d. | 1. |
| Pro acceſſu intra Ciuitatẽ pro capienda obligatione, ſeù pro examinandis Teſtibus ſoluatur duplũ illius, quod ſoluitur in Banca, verũ quoad Teſtes ſoluatur ſolus acceſſus. | d. | 0.1. 0. |
| Pro captura poſſeſſionis beneficij Notario. | d. | 0.2.10. |
| Pro edicto cuiuslibet Beneficij vacãtis pro quolibet. | d. | 0.2. 0. |
| Pro bulla cuiuslibet beneficij authoritate ordinaria, Notario pro confe- | | |

ctione

ctione vnius Bullæ, computata regeſtatura, carolenos quindecim, Secretario pro ſigillo ducatum vnum. d. 2. 2. 10.

Pro fide legalitatis Notario. d. 0. 1. 0.

Pro Bulla cuiuslibet Beneficij authoritate Apoſtolica conferendi, regeſtatura, & omnibus computatis, Notario. d. 2.

Pro qualibet diſpenſatione authoritate Apoſtolica facienda, ſcilicet ab Irregularitate, ſeù alia quacumque Cenſura, ſeù qualibet licentia authoritate Apoſtolica imponenda, Notario, omnibus actis computatis, in totum. d. 1. 2. 10.

Pro abſolutione, ſeù habilitatione à Iuramento, ſeù Iuramentis ad effectum agendi, ſiuè & periurio incurſo, & pro quacumque ſumma, abſq; inſertione Inſtrumentorum, & Cautelarũ Notario carolenos quinque, ſi verò petatur in membrana cum inſertione Inſtrumenti, ſoluantur Notario caroleni viginti, niſi ſit tàm exceſſiua Scriptura Inſtrumẽtorũ. d. 2.

Pro expeditione memorialium, Iuſtitiã concernentium, ſoluatur Illuſtriſs. & Reuerendiſs. Dño Epiſcopo. d. 0. 1. 0.

Et Notatio pro pręſentatione illius. d. 0. 0. 3.



Digitized by Google

Pro qualibet remiſſione Criminali facienda in Banca, Notario. d. o. 1. o.
Pro qualibet remiſſione extra Bācā. d. o. 2. 10.

*In Cauſis Commiſsis authoritate Apoſtolica ſoluatur, ut infra.*

PRo qualibet pręſentata Breuis, & cōmiſſionis Apoſtolicæ, expeditione litterarum Inhibitorialium cum inſerto tenore Breuis, ſeu Cōmiſſionis Notario. d. 1. 1. o.
Pro apertura Proceſſus. d. o. 2. 10.
Pro Conſtitutione Procurationis, ſeù Subſtitutionis. d. o. o. 10.
Pro accommodatione Proceſſus tranſmiſſi, ſeù nouiter compilati. d. o. 1. o.
Pro cōmiſſione circa Audientiam Teſtium Notario. d. o. 3. o.
Pro decretis quibuſcumque interlocutorijs, ſeù ordinatorijs in caſu contradictionis. d. o. 2. o.
Pro ſententia diffinitiua Ius trigeſimę, vt ſupra dictum eſt.
Pro lecto lato ſententiæ, ſeù decreti diffinitiui Notario. d. o. 1. o.
Pro mandato de parendo huiuſmodi ſententiæ Notario. d. o. 2. 10.
Pro copijs exemplādis ex cauſis commiſſis ſoluatur duplum, prout in cauſis ordinarijs. d.

Pro

| | | |
|---|---|---|
| Pro litteris executorialibus vigore ſẽtentiæ Notario ducatum vnum. | d. | 1. |
| Pro litteris inculcatorialibus Notar. | d. | 0. 2. 10. |
| Pro decreto abſolutionis ab Excommunicatione Notario. | d. | 0. 2. 10. |
| Pro litteris cõmiſſionalibus ſuper impartione abſolutionis Notario. | d. | 0. 2. 10. |
| Pro mandato Teſtibus,& parti. | d. | 0. 1. 0. |
| Pro pręſentata articulorum, & capitũ nullitatum. | d. | 0. 0. 10. |
| Pro actu executionis vigore litterarũ executorialium. | d. | 0. 1. 0. |
| Pro mandato ad Reluẽdũ Notario. | d. | 0. 0. 10. |
| Pro licentijs de vendẽdo bona executa Notario ducatum vnum. | d. | 1. |
| Et pro reliquis actis neceſſarijs ſoluatur duplũ,prout in cauſis ordinarijs. | d. | |

*In Viſitatione.*

Pro pręſentata cuiuslibet Bullę vna cũ Regeſtatura ſoluatur Notario tarenũ vnũ, verũ Bulla ſemel corã Illuſtriſſimo in Generali Viſitatione pręsẽtata, & regeſtata,etiã ſi iterũ,& pluriès viſitauerit, & pręsẽtetur eadẽ Bulla, nihil aliud,eius vita durãte,ſoluatur,& corã Succeſſoribus viſitãtibus pro eiſdem Bullis in Generali Viſitatione iã regeſtatis non ſoluantur,niſi gran. 10. pro iure pręſentati tantùm.

In cæteris verò actis,in Viſitatione occurrẽtibus,ſoluatur ſecundũ taxã,ſupra iã ordinatam.

TIT.

## TIT. XXV.

### De Obitu, & Funere Epiſcopi, & de Capitulo Sede vacante.

### CAP. I.

Laud. ac Lic. Tit: Tit: XV. cap: 77 pag. 79.

SVpereſt demùm, vt Nouiſſimorum noſtrorũ non immemores, Morti noſtræ, Viduatæ Eccleſiæ, ac Succeſſoribus noſtris, etiam in hac parte conſulamus.

§. 1. Expoſcit igitur pietas erga Animarum Patrem, atque Religio, vt cum Epiſcopus grauiter ægrotare contigerit, ſtatim à Capitulo, & Clero pro illius incolumitate preces fundantur. Eo verò in extremis Laborante, duo de Capitulo vicinum Epiſcopum, vel alium Antiſtitem, quem ſibi ipſi Infirmus elegerit, quiuè cõmodiùs haberi poterit, inuitent, ac conuocent, qui illum, iam iam acturum animam, conſoletur, ac mortuum vnà cũ Seculari, & Regulari Clero, & Sodalitijs Solemni more ad Sepulchrum proſequatur; quòd ſi ad id tempora non largiantur, deputentur à Capitulo duo Canonici ex Seniorib⁹, vel prudẽtioribus, qui ſimul cum Parocho, & alijs Religioſis viris Epiſcopo aſſiſtant, curentque, vt ei ſolemniter adminiſtrentur Sacramenta, & tempore angoniæ eius Anima Deo commendetur, nec à Subcollectoribus R. Cameræ Apoſtolicæ perturbetur, qui ſuæ commiſſionis fines paſſim excedere non verentur. Poſtmodum Corpus, vita functum, lauetur,

*Cærem. Epiſc. eod. tit.*

veſti-

Digitized by Google

veſtimentis quotidianis,& Pontificalibus veſtiatur,In Aula Maiori Palatij Epiſcopalis iuxta figuram Cæremonialis adaptetur, & circa illud ab vtroque Clero Pſalmi, & Preces deuotè recitentur,ac demùm, Campanis nouies pulſatis, ſolemni more ad Eccleſiam ducatur, & exequijs peractis,qua decet honeſtate,ac pietate ſepulturæ tradatur.Exequiæ verò Eccleſiæ vacantis fiãt impenſis;Sacerdotes autem omnes, tàm in die depoſitionisDefuncti,quàm in duabus ſequentibus pro eius Anima Sacrum faciãt, ſicut ipſemet Epiſcopus,in humanis degẽs,totidem Miſſas pro vnoquoque Præsbytero defuncto celebrare non prætermittit. Deinde ſingulis annis præ defuncti Epiſcopi Anniuerſaria celebrentur, prout alibi diximus. *Ibid.* *ſup.tit.12.c.9.*

## CAP. II.

PRæterea hac Noſtra Conſtitutione ſancimus,vt Defuncto ſuo,vel alio Comprouinciali Epiſcopo, ea omnia à Noſtro R. Capitulo omni futuro tempore obſeruentur, quæ Illuſtriſſimus, ac Reuerendiſſimus Dominus D. Fr.Gabriel Adarzo de Santander,Archiepiſcopus Hydruntinus meritiſſimus,pro maxima, qua pollet pietate, prudentia, ac doctrina, ſuis litteris, ad Epiſcopos ſuffraganeos, & Capitula Cathedralium miſſis, nuper fieri hortatus eſt,Cui idem R. Capitulum reſcribendo,eadem ſe obſeruaturum ad vnguem exhibuit.Sunt autem Epiſtolæ, quæ ſequuntur:

Adm.

Digitized by Google

*Adm. RR. DD. Dignitatibus, Canonicis, & Clero Gallipollitan. S.*

Adm. RR. DD.

*ID vnum debemus dolori Noſtro ob deceſſum Illuſtriſsimi, ac Reuerendiſsimi Domini D. Fr. Laurentij de Encinas, quondam Epiſcopi Vgentini, quòd Nobis occaſionem præſtiterit proponendi RR. Capitulis Cathedralium huius Prouinciæ Laudabilem quandã Conſuetudinem, in toto Lombardiæ Statu Religiosè obſeruatam, vti ex Sancti Caroli Borromei præſcripto deſcendentem, qua mediante illius Status Capitula (Charitatis in Chriſto vinculo colligata) mutuò ſeſe in Paſtoris lacrymoſa amiſsione conſolantur. Talis igitur eſt. Quoties Illuſtriſsimus Prælatorum quis decedit, ſtatim Capitulum Cathedralis Viduatæ duas ad cæteras Condiœceſes Epiſtolas ſcribit, quarum vna Illuſtriſsimo Præſuli dirigitur, cum de propria deſolatione certiorando, deprecaturque, vt ipſe Eccleſiam, & Capitulum ſub ſua protectione Viduitatis tempore habeat, & foueat, dein enixè rogat, vt pro demortuo Præſule in ſua Cathedrali honores ſupremos celebrare dignetur, denique quòd adunata oratione, communique prece Dominus exoretur, vt de idoneo, vigilique Paſtore quantocitius Viduatæ Eccleſiæ prouidere dignetur. Id ipſum alia Epiſtola ſingulis Cathedralium Eccleſiarum Capitulis exponitur, etiamſi quæuis earum mærori ſimili conſternata iaceat. Acceptis Epiſtolis Illuſtriſsimus ſuo Ca-*

pitulo

Digitized by Google

pitulo de in eis contentis notitiam communicat, & Capitulum duas Dignitates, vel Canonicos de antiquioribus deſignat, qui nomine Capituli apud ſuum Illuſtriſſimũ pro Coepiſcopi morte inſimul condoleant. Deſignat Illuſtriſsimus diem ad vltimos honores defuncto Præſuli deferendos. Formatur tumulus decentiori apparatu poſsibili, Campanæ ab ante die pulſantur. Affigitur in Sacriſtia tabella, vt Celebraturi pro defuncti Anima Deum orent. Cantatur in Choro primus Officij Mortuorum Nocturnus, Oratione terminandus. Fit Miſſa ſolemnis, & in fine Abſolutiones à Romano Epiſcoporum Rituali præſcriptæ. Demùm Epiſtolis viduatæ Eccleſiæ vrbanè, & in mærore reſcribendo, fit ſatis. Hæc de Cathedralium Lombardiæ Eccleſiarum conſuetudine, quã ſummè piam, pariterque laudabilem, dùm ibi Epſcopũ de Vecebem, etſi immeriti, ageremus, iudicauimus: quippè qua fraterna charitas excitatur, gratitudo, & beneuolentia Capitulorũ erga proprios Prælatos rutilat, Eccleſiarum Matricum concordia reſplendet, Seculariũ turba Fidelium Sancto proficit, & ædificatur exemplo, Paſtorum ſub incomportabili pro Chriſti Ouibus onere decedentium Animæ ſubleuantur, denique Paſtor Paſtorum Chriſtus colitur, qui pro miſerorum ſuccurſu pronuntiare dignatur, quod vni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis. Nos ergo poſtquam per litteras cum Illuſtriſsimis huius Prouinciæ Coepiſcopis, ac Nobis in Chriſto Fratribus dilectiſsimis ſuper præfata egimus obſeruantiã, ipſoſque vidimus, vti pijſsimam laudibus extuliſſe, dignamque extimaſſe, quòd ab omnibus

*imitatione in poſterum teneatur, conſonum Noſtro muneri iudicauimus, de eadem Religioſiſſima Cathedralium Capitula commonere (quæ certò ſcimus, non minori in ſuos Prælatos, quàm Lombardiæ Capitula amore, gratitudine, ac reuerentia duci) vt æmulando chariſmata meliora, cæteris Regni Capitulis (quæ in nihilo pietatem redolente inueniuntur ſecunda) exemplo glorioſè præcedāt. Idquecirco Reuerendiſſimorum Capitulorum Metropolis mentes per has litteras Noſtras excitamus, feruorem promouemus, vt in tàm Sanctæ Obſeruantiæ promptè ſe accingant executionem, ſperantes de Domini bonitate (cuius eſt incremēta præſtare virtutibus) quòd perficiendo opus ab eis inchoatum, exemplum tranſmittent in alia Regni Capitula, non abſque inchoantium gloria, ac honore. Vt autem firmiùs poſteritati præfata obſeruantia mandetur, expediens iudicauimus (dùm Synodum Prouincialem coire non licet) quòd robore Capitularis Concluſionis firmetur, ac publicis Cathedralis tabulis conſcribatur. Omnipotēs (à quo omne bonum deſcendit) Dominationes Veſtras in ſuo Sancto obſequio promoueat, ac continuè fælicitet. Sancto Petro in Noſtro Palatio die 6. Ianuarij anni Domini 1661.*

DD. VV. Affectuoſiſſimus vti Frater.

*F. Gabriel Archiepiſcopus Hydruntinus.*

Illuſ-

Illuſtriſs.ac Reuerendiſs. Dño Archiepiſc. Hydrũtino Canonici, & Capitulũ Gallipolitanũ S.

Litteras tuas, ab Illuſtriſsimo Noſtro nobis traditas, accepimus, è quibus planè perſpectum, quanta in Archiepiſcopali adimplendo munere Te teneat ſollicitudo; dum Prouincialium tuorum ſic inuigilas vitæ, vt & conſulas morti. Expoſuiſti nobis, imitandũ propoſuiſti, in tota Ciſalpina Gallia obſeruatum, vtpotè à Diuo Carolo inſtitutum, Laudabilem morem in Condiœceſanos de ſtatione vitæ decedentes Epiſcopos. quis enim illud obſeruandum non duxerit, cum tantum virum agnoſcat Authorem, tantam reſpiciat pietatem? Quo ſuper nos coacto Capitulo, lectis litteris, vna hæc omnium ſententia fuit; obſeruandum Ciſalpinæ Prouinciæ morem; morem gerendum Noſtro Domino Archiepiſcopo; peragenda mandata; redacta in Capita in albo ſcribenda. At quàm Tibi nos grates haberè debemus maximas, dùm per Epiſtolam nobis ſignificare volueris, quod ſolo nutu poteras tuo? Annue poſt hac igitur, nutu tantùm impera. Si enim (vt fertur adagio) omnis herus Seruo Monoſyllabus, quanto nos decet eſſe obſequentiores tàm amanti Domino, & Patri? Vale; diuq; vt valeas, Deum precamur, per multos annos te ſeruet incolumem. Gallipoli Idibus Ianuarij 1661.

## CAP. III.

Denique Sacroſancti Tridentini Concilij veſtigijs inhęrendo mãdamus, vt, Epiſco- *Seſſ 24. c. 16. de reform.*

po defuncto, Capitulum Sede vacante OEconomos ſaltem duos fideles, ac diligentes decernat, qui rerum Eccleſiæ, & prouentuum curam gerãt vſquedùm ab Excellentiſſimo Domino Regni Prorege iuxta Conſuetudinẽ ( cũ hæc Eccleſia ſit Regij Iuriſpatronatus ) OEconomus deputetur.

*Trid. loc cit.* §. 1. Officialem item, ſeù Vicarium infra octo dies poſt Epiſcopi mortem eligat ( niſi exiſtentẽ confirmet) qui ſaltẽ in Iure Canonico ſit Doctor, vel Licentiatus, vel aliàs quantùm fieri poterit idoneus, alioquin deputatio huiuſmodi ad Metropolitanum devoluetur. Exiſtentibus autẽ Doctoribus in Capitulo, neceſſariò vnus ex eis erit eligendus(hoc eſt deputãdus)prout pluries eiuſdem Concilij Congregatio declarauit, & nouiſſimè in vna Gallipolitana deputationis Vicarij *Sup. d. r. 16. 27. Maij 1656.* in proxima præterita huius Sedis vacatione. Illis verò octo diebus totum Capitulum adminiſtrare debere, ac poſſe terminum prædictum electionis reſtringere, breuiorem ſtatuendo, non tamen ad id arctari, nemo eſt, qui dubitet. Vt autem quæ ſuperiùs ſtatuta ſunt, obſeruentur; ſtatuimus, vt nullo modo, vel prætextu Capitulum poſſit deuenire ad electionem Vicarij ob Epiſcopi mortem, non ſepulto Epiſcopo, ſub pœna Interdicti Eccleſiaſtici. Epiſcopus demùm ad eamdem Eccleſiam promotus ab eodem Vicario rationem exiget adminiſtrationis, & officij, etiam ſi priùs eidem Capitulo illam reddiderit, & abſolutionem, vel libe-

*Vid. Raguſ. de voc. Can. q. 37. n. 2.*

*Quarant. ver. Capitulum Sede vacante, § 12. quære, verſ. primo. & verſ. terminum.*

*Trid. d. c. 16*

liberationem obtinuerit, vt in eodem Tridentino Concilio ſtatutum eſt.

## DECRETVM
## De Conſtitutionibus Synodalibus obſeruandis.

AVdiſtis, Venerabiles Fratres, & Filij Chariſsimi, primas huius Noſtræ Synodi Conſtitutiones, ad quarum obſeruantiam poſt bimeſtre tempus à die publicationis omnes, & ſingulos, ad quos ſpectat, vtriuſque ſexus, & cuiuſcumque ſtatus, gradus, dignitatis, ac conditionis, teneri, ligari, & obligari volumus, & mandamus, ac ſi de facto ipſis forent intimatæ, eoſque ad id arctari ſub pœnis, & Cenſuris in illis adiectis, inflictis, & comminatis. Cenſuras autem à Prædeceſſoribus Noſtris in huiuſmodi Synodalibus Sãctionibus, ſi quæ extant, ad Animarum laqueos euitandos reuocamus, & annullamus, his tantummodò firmis manentibus, quæ in hac Synodo approbatæ, & innouatæ ſunt. Nec non ad Conſcientiarum omnium quietem dicimus, & declaramus, non omnia hæc Noſtra Decreta, Conſtitutiones, & Admonitiones ſub peccati periculo obligare, niſi vbi Excommunicatio, vel alia cenſura eſt annexa, & vbi ſtrictè præcipitur obſeruantia, vel ipſius iuris ratio poſtulat. In quibus autem nulla pœna eſt appoſita, nec à Iure inflicta, arbitrio Noſtro cenſeatur reſeruata, quod etiam intelligatur, vbi alia pœna ſpecialiter eſſet ſtatuta, iuxta delicti, vel contrauentionis, perſonarumque qualitatem. Quòd ſi ſuper præfatarum

Conſti-

*Conſtitutionum intelligentia difficultas aliqua ſuboriatur, deciſionem Nobis, Noſtroque Generali Vicario, & ſucceſſoribus reſeruamus cum poteſtate ſententias, & pœnas aggrauandi, vel minuendi, prout viſum fuerit expedire. Semper tamen ſub Sanctæ Sedis Apoſtolicæ obedientia, cuius authoritati, & iudicio hæc omnia corrigenda, vel reformanda ſupponimus.*

Nos D. Ioannes Epiſcopus Gallipolitanus.

Et rogata Synodus, an placerent dicta Decreta, Conſtitutiones, & Admonitiones. Vna communi voce Reſpondit: Placent, Recipimus, & Approbamus, &c.

*In quorum Fidem Ego D. Ioannes Solito Canonicus Gallipolitanus publicus Apoſtolica Authoritate, & Cauſarum Curiæ Epiſcopalis Gallipolitanæ Notarius hic me ſubſcripſi rogatus, &c. Meumque ſolitum ſignũ appoſui. Dat. Gallip. in Eccleſia Cathedrali, in Synodo Diœceſana die XVIII. Maij M.DCLXI.*

Ego D. Ioannnes Solito, qui ſupra.

Locus ſigni.

EXA-

Digitized by Google

## EXAMINATORES SYNODALES.

Adm.R.D.Abb.Ioſeph QuintilianusCuti V.I.D. Prothonotarius Apoſtolicus Decanus, & Vicarius Generalis.

R.D. Abb. Nicolaus de Siena V.I.D.Archipręsbyter.

R.D.Mauritius Alexandrellus S.T.D.Parochus.

R.D.Carolus Antonius Coppula Art.& Medic. Doct.

R.P.Fr,Dominicus Stradioti à Gallipoli S.T.M. Ord.Prædic.

R.P.Fr. Seraphin à Secli S.T.P. Ord. Minor. S. Franciſci Strictioris Obſeruantiæ.

R.P.Fr.Franciſcus à Gallipoli S.T.P. Ord. Cap. S.Franciſci.

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

# INDEX TITVLORVM.

I. De Fide Catholica, eiuſque Profeſſione, Doctrina, & Prædicatione. fol. 1.
II. De Inuocatione, Veneratione, & Reliquijs Sãctorum; deque Sacris Imaginibus. fol. 14.
III. De Dominicis, feſtiſq; diebus, & illorum obſeruatione. fol. 17.
IV. De Ieiunio, & Delectu Ciborum. fol. 31.
V. De Hæreticis cauẽdis, & denuntiandis, eorumq; libris prohibitis. fol. 34.
VI. De Maleficijs, Sortilegijs, alijſq; Superſtitionibus, & de Exorciſmis, & nouis miraculis. fol. 39.
VII. De Blaſphemijs, falſis Teſtibus, & famoſis libellis. fol. 43.
VIII. De Sacramentis in genere. fol. 46.
IX. De Sacramento Baptiſmi. fol. 50.
X. De Sacramento Confirmationis. fol. 55.
XI. De Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento. fol. 58.
XII. De Celebratione Miſſarum. fol. 67.
XIII. De Sacramento Pœnitentiæ. fol. 80.
XIV. De Sacramento Extremæ Vnctionis. fol. 106.
XV. De Sacramento Ordinis. fol. 111.
XVI. De Beneficijs Eccleſiaſticis. fol. 118.
XVII. De Reſidentia. fol. 126.

XVIII. De Diuinis Officijs, & Horis Canonicis, Sacris Cæremonijs, & de Honeſtate, & Reuerentia in Eeclesia ſeruanda. fol. 130.
XIX. De Proceſſionibus. fol. 136.
XX. De Sepulturis, & Exequijs. fol. 144.
XXI. De Vita, & Honeſtate Clericorum. fol. 151.
XXII. De Regularibus, & Monialibus. fol. 159.
XXIII. De Sacramento Matrimonij. fol. 170.
XXIV. De Iudiciali Epiſcopi foro, Officialibus, & Pandectis Emolumentorum. fol. 184.
XXV. De Obitu, & Funere Epiſcopi, & de Capitulo Sede vacante. fol. 198.

FINIS.

INDEX

Digitized by Google

# INDEX

## MATERIARVM, RERVM, ET VERBORVM Notabilium, quæ in hac Synodo continentur.


Abbatiſſa.

Abbatiſſa quomodo cum Monialibus ſe gerere debeat, pagin. 169. Reliqua, vid. verbo Moniales.

Abſolutio.

Abſolutionis Sacramentalis forma cum nonnullis declarationibus, 96. & ſeqq.

Abſolutio Sacramentalis quibus à Confeſſarijs ſit deneganda, vel retardanda, vid. in v. Caſus reſeruati in v. Confeſſarij, & in v. Pœnitentia Sacramentum.

Actuarius.

Actuariorũ Curiæ Epiſcopalis Officium, & onera, 186. Et de Inuẽtario Archiuij, & libro Regiſtri, 187. & quæ emolumenta exigere debeat, 188. Tabella emolumentorum, ibid. & ſeqq.

Alienatio.

Alienatio rerum Eccleſiæ prohibita, & quando permiſſa, & quis alienare dicatur, 124. Si ſint modici valoris, Curia Epiſcopalis præſtat aſſenſum. Ibid. Pœna alienantium, & impedientium ne Eccleſia ſibi debitũ recipiat. 125.

Archiepiſcopus.

Archiepiſcopi Hydruntini D. Fr. Gabrielis Adarzo de Santander laudes. 199.

Baptiſmus.

